
69
9
20



San Marino

LEGES STATVTAE

REIPVBLICAE

SANCTI MARINI




FOROLIVII

EX CASALIANO TYPOGRAPHEO

MDCCCXXXIV.

TYPOGRAPHUS LECTORI

Sanmarinensis Respublica vetustate libertatis celebrata, omniumque, quae in Italia floruerunt, una superstes, peculiares leges labente saeculo XIII iam sibi condiderat, quae pluries auctae ac emendatae anno deinde MDC Arimini ex officina Iohannis Simbenii in publicum prodierunt. Haec tamen editio ex librarii socordia tot tantisque mendis inquinabatur, ut sententiarum vim quam saepissime minime liceat attingere: at quaecumque fuerit diuturnitate temporis, ac continua manuum attrectatione consumpta, ita propemodum evanuit, ut vix unum exemplar integritate donatum mihi diutius inquirenti se tandem obtulerit. Eam igitur, sed ad unguem castigatam, meis typis instaurare constitui, ratus pluribus non fore ingratum perspicere, quibus legibus Sanmarinenses inter tot saeculorum commutationes et vicissitudines primigenium Civitatis statum usque adhuc retinere feliciter potuerint.



INDEX

INDEX

INDEX

INDEX

INDEX

FINIS



STATUTORUM

LIBER PRIMUS

De Arengo generali. Rubrica I.

Quoniam sub capite cetera membra naturaliter sita sunt, ideo primo loco de Arengo (cuius auctoritas in Republica nostra antiquitus præcipua erat), congruum dicere visum fuit. Est igitur Arengum congregatio universi populi Terræ Sancti Marini, et eius Curiæ, scilicet unius hominis pro domo, quæ præmisso sono campanæ, & voce plazariorum, olim fiebat in claustro Plebis eiusdem Terræ, et nunc fit in aula, seu in domo magna Communis de mandato Dominorum Capitaneorum eiusdem Terræ pro tempore existentium, vel alterius eorum semper, et quandocumque eis, vel alteri eorum videtur necessarium, et opportunum. In quo Arengo sic congregato et coadunato licet graviora negotia Reipublicæ nostræ antiquissimis temporibus per Dominos Capitaneos tractarentur, et resolverentur: attamen aucto populo nostro, quoniam congregatio eius pro singulis rebus difficilis paulatim evasit, ad tollendas omnes difficultates, nec non iurgia, et inevitabiles, ac perniciosas contentiones, quæ in tam magna multitudine hominum continuo oriebantur, in Consilium magnum et generale, nuncupatum sexaginta virorum, omnimoda, et suprema potestas et imperium ab eodem Arengo translatum fuit, nulla alia sibi reservata auctoritate, nisi quod in eo, ut supra, congregando, pubblicari debeant Officiales in principio cuiuslibet Capitaneatus electi, collectarum necessariae taxationes, et solutiones, viarum reaptationes, aquarum reductiones ad suos cursus antiquos, nec non custodiarum, operarum, lignorum, ac quarumcumque rerum impositiones, et cetera alia opportuna, et sub diversis Rubricis præsentis voluminis statutorum comprehensa. Quæ omnia nos confirmamus et approbamus, volentes etiam cuique de populo licere suas querelas, et prætensa gravamina in prædictis et circa prædicta per modum supplicationis verbo vel in scriptis in eodem Arengo coram Dominis Capitaneis porrigere, et propo-

nere, ut illis auditis per ipsos Dominos Capitaneos possint salubria et condecentia remedia applicari, vel ad Consilium generale deferri secundum negotiorum gravitatem, et qualitatem.

De modo et forma convocandi Arengum, et de poenis ad illud non venientium, vel in eo tumultum concitantium. Rubrica II.

Ut omnibus innotescat quando debeant venire ad Arengum, statuimus quod si Domini Capitanei pro tempore existentes, vel alter eorum, pro necessitatibus Communis voluerint Arengum congregare, debeant per unum ex eorum plazariis sero præcedenti per aliquod spatium temporis, ut puta per quartum unius horae, pulsare facere ad martellum tribus intermissis et reiteratis vicibus campanam Communitatis, sive maiorem existentem in Plebe Terræ predictae, et similiter mane sequenti per eamdem campanam sonari facere requisitionem, sive requestam more solito, qua pulsata, et præmissa generali monitione voce plazariorum per vias et plateas, quod omnes debeant ire, vel venire ad Arengum, Domini Capitanei debeant semper per eorum Notarium in principio Arengi fieri facere requisitionem, sive requestam, nominando alta et intelligibili voce unum pro domo, et si vocati, vel alius de eadem domo, non adfuerint in Arengo, quando per Notarium erunt vocati et nominati, possint et debeant per ipsos Dominos Capitaneos cogi solvere de facto pro pœna Camerario Communis bononenos duos currentes pro quolibet et qualibet vice, sine aliqua diminutione vel gratia, et absque alia sententia vel condemnatione. Possint tamen Domini Capitanei, si voluerint, de eis gratiare punctatos comparentes post factam requisitionem, sive requestam, ante finem tamen Arengi, et non aliter. In convocando vero Arengo pro sententiis criminalibus vel damnorum datorum in eo proferendis et promulgandis, omnes supradictæ solemnitates non erunt necessariæ. Poterunt enim Domini Capitanei illud cum eius requesta sonari facere de mane pro sero eiusdem diei, quo sententias et condemnationes promulgare voluerint, vel de sero diei præcedentis. Et dummodo duo testes idonei fuerint præsentes in Arengo, illas proferre et publicare, prout latius in alia Rubrica continetur. Et ne seditiosi valeant de eorum inquietudine gloriari, statuimus et ordinamus, quod quicumque in Arengo aliquam seditionem vel tumultum concitaverit, vel aliqua verba contumeliosa dixerit, puniatur de facto corporaliter vel pecunialiter arbitrio Dominorum Capitaneorum, habita consideratione qualitatis personarum et delicti.

De Consilio magno, et generali sexaginta virorum nuncupato. Rubrica. III.

Consilium magnum et generale, nuncupatum sexaginta virorum Reipublicæ nostræ Sancti Marini postquam ab Arengo, sive ab universo Populo nostro in eo congregato omnimodam, et supremam auctoritatem, et potestatem, ac imperium obtinuit, semper illud conservavit, Princepsque supremus, ac absolutus, et solus Reipublicæ nostræ fuit, adhuc existit, ac Deo dante precibus Beati Marini Protectoris nostri semper erit.

Habet enim ius necis, et vitæ, ac bonorum cuiuslibet de prædicta Terra, Comitatu, Districtu, et Iurisdictione, et plenariam, ac absolutissimam potestatem supra leges, et statuta, nec non facultatem eligendi, et creandi Capitaneos, Iudices Appellationum, et ceteros quoscumque alios Magistratus, et Officiales, collectas, et onera imponendi, et ut uno verbo cetera comprehendantur, habet potestatem faciendi semper quicquid opportunum, et utile pro conservatione antiquissimæ libertatis præfatæ Reipublicæ nostræ sibi videtur.

Consilium magnum, et generale prædictum, ut plurimum, fuit incerti, et multo maioris numeri, quam sexaginta virorum, licet eo nomine semper nuncupatum fuerit, sicque etiam nunc, et in perpetuum nuncupari volumus et mandamus. Illudque demum redactum, et reductum fuit ad numerum certum, et determinatum, nempe ad numerum sexaginta Consiliariorum specialiter sorte, et per bussolas, et balluctas electorum, et confirmatorum, videlicet quadraginta qui erant, et semper esse deberent de Terra Sancti Marini, Mercatale, et Plagiis, et viginti qui erant, et semper, esse deberent de villis Territorij eiusdem Terræ, quorum officium esset perpetuum, et nisi eorum morte, aut susceptione alicuius ordinis sacri, ut puta Subdiaconatus, vel ab inde supra, vel privatione ob aliquod delictum, finiri non posset.

Quæ omnia et singula præsenti statuto confirmamus, et approbamus.

Volentes deinceps Consilium magnum, et generale prædictum semper esse debere numeri prædicti, videlicet sexaginta Consiliariorum, dictumque numerum augeri, vel diminui non posse, nec debere. Immo contrarium in consilio nunquam proponi posse per Dominos Capitaneos, sub pœna unius scuti pro quolibet eorum id proponente, et pro qualibet vice, absqua aliqua diminutione, et gratia.

Sed quoniam contingere posset multos Consiliarios quandoquidem fore absentes, et alios infirmos, et ægrotos, ne proficua, et utilia, ac necessaria Reipublicae nostrae ullo unquam impedimento retardari valeant ob defectum non in-

tegri numeri Consiliariorum, statuimus et ordinamus quod deinceps Consiliarij ad numerum saltem quadraginta simul coadunati, et congregati de mandato Dominorum Capitaneorum, praemisso sono campanae, et ceteris servandis servatis more solito, quodlibet negotium Communis tractare, et diffinire possint et valeant, quodque eorum determinationes, et resolutiones habeant idem robur, et firmitatem, quam haberent, si a toto integro sexaginta Consiliariorum numero una rite coadunato factæ fuissent, et essent, prout etiam eamdem firmitatem, et robur habere volumus electiones Capitaneorum, quae factae fuissent in Consilio minoris etiam numeri quadraginta Consiliariorum non obstantibus quibuscumque.

Addentes quod Consiliarij tempore eorum electionis debeant esse aetatis ad minus annorum vigintiquinque.

Nec unquam possit filius esse Consiliarius eius patre vivente. Prout nec etiam possint esse consiliarij duo, vel plures de una, eademque domo, sive plures fratres simul cohabitantes, et qui adhuc non devenerint ad divisionem communium bonorum, vel hereditatis paternae.

Et ut Consiliarij fideliter, et libentius inserviant nostrae Reipublicae, eis concedimus, quod nunquam personaliter detineri, et carcerari possint pro aliquo debito civili privato, summam vigintiquinque librarum deinde non excedente, nec etiam molestari posse a Curia, et Fisco propter delationem cuiusvis generis armorum praeterquam archibusiorum parvorum minoris longitudinis trium palmorum.

De subrogatione Dominorum Consiliariorum sexaginta virorum. *Rubrica IV.*

Quando acciderit, quod aliquis ex numero Dominorum Consiliariorum sexaginta virorum nostrae Terrae defecerit morte, vel aliter quomodocumque, ut supra in Rubrica de Consilio magno, et generali sexaginta virorum sancitum fuit, modus infrascriptus in electione aliorum loco deficientium observetur, videlicet quod quilibet ex Dominis Capitaneis coadunato generali Consilio duos ad eius libitum, et voluntatem medio eius iuramento nominare possit. Qui nominati debeant postea per Cancellarium alta, et intelligibili voce ad omnium Consiliariorum intelligentiam publicari, et manifestari, eisque sic publicatis possint etiam singuli Consiliarij in eodem Consilio existentes unum, quem maluerint, medio eorum iuramento nominare, et in Consiliarium proponere, idoneum tamen semper, et aptum ad dictam dignitatem

sustinendam. Quibus peractis nominationibus, et omnibus nominatis per Cancellarium Communis descriptis, omnes, et singuli, ut supra, tam per Dominos Capitaneos, quam per alios Consiliarios praedictos nominati ad suffragia per bussolas et balluctas admittantur, et ille censeatur, declaretur, ac intelligatur electus qui alios maiori suffragiorum, et balluctarum numero superaverit. Et in casu paritatis, et aequalitatis suffragiorum, et balluctarum, iterum ad suffragia qui pares fuerint admittantur, et maior numerus, ut supra, minorem superasse intelligatur, habito semper respectu numeri consiliariorum balluctantium, et habita consideratione, ut proponantur cives, et terrigenæ, si deficiens erit civis, et terrigena, sin autem de villis si deficiens erit villicus. Et ut omnis fraudis suspicio removeatur, semper ad praedicta omnia non solum D. Capitanei, et Cancellarius Comunalis, sed etiam Fiscalis, et Camerarius, qui pro tempore reperiuntur (si de eis copia haberi commode poterit) assistere debeant. Alias quicquid contra hanc ut supra descriptam formam actum, gestum, et attentatum fuerit, habeatur, et intelligatur ipso facto absque ulla alia declaratione fienda, nullum, invalidum, et nullius roboris, vel momenti. Et incurrant praeterea Domini Capitanei praedicti contra hanc formam fieri permittentes, poenam trium scutorum pro quolibet eorum, ultra amissionem eorum soliti salarij. Quae omnia Camerae Communis applicentur: addentes quod huiusmodi balluctationi assistere non possint, nec debeant, consanguinei, et affines usque in tertium gradum inclusive secundum ius canonicum computandum.

Forma iurisiurandi praestandi Consiliarijs in omnibus electionibus post hac faciendis, et praesertim aliorum Consiliariorum, Dominorum Capitaneorum, Iudicum Appellationum, et quorumcumque aliorum officialium propositis, et manibus tactis Sanctissimis Evangelijs. Rubrica V.

Ego N. iuro per haec Sancta Dei Evangelia me electurum in Consiliarium, Capitaneum, et Iudicem, vel in alium Officialem illum, vel illos, quos iudicabo esse magis aptos, idoneos, ac utiles, et beneficos publico nostro, vel pro conservatione nostrae antiquissimae libertatis, et administratione iustitiae, nullo motus odio, vel amore, aut humana gratia.

De electione Dominorum Consiliariorum duodecim virorum, et eorum auctoritate. Rubrica VI.

Coadunato, et legittime congregato magno, et generali Consilio sexaginta virorum, sorte sexdecim homines ex numero praedictorum extrahantur, qui totidem ex eodem numero nominare teneantur, octo scilicet terrigenas, et octo ex territorio Terrae nostrae Sancti Marini, dummodo nominati fratres germani, consobrini, patrui, nepotes, soceri, generi, sororijve nominantis, inter se non existant. Qui sexdecim homines sic, ut praefertur, nominati ad scrutinium in dicto Consilio sexaginta virorum per suffragia, et balluctas admittantur, quorum quatuor ex terrigenis, et quatuor ex territorio praedicto, quibus maior numerus suffragiorum, et balluctarum praestitus fuerit, sint, et esse intelligantur Consiliarij duodecim virorum Terrae nostrae praedictae, qui per annum tantum, et non ultra, in dicto eorum officio, et in dicta dignitate permanebunt.

Verum quia non minus utile, quam necessarium esse videtur, quod in numero duodecim praedictorum virorum semper viri quatuor interesse debeant, qui de contingentibus in praecedenti anno, in quo ipsi officium praedictum exercuerunt, plenam habeant informationem, propterea ordinamus, et statuimus, quod quatuor illi viri, qui in praecedenti anno ad dictum officium admissi, ut supra fuerunt, adhuc per subsequentem annum una cum alijs octo, ut supra admissis, in eodem officio permanere debeant, ut sic duodecim viri in numero existant, et Consilium duodecim virorum appelletur. Et sic deinceps perpetuis futuris temporibus ordo hic descriptus observetur.

Quod quidem Consilium duodecim virorum praedictum auctoritatem habeat multandi, et praecipiendi usque ad summam librarum centum denariorum, et non ultra. Et insuper arbitrarias pœnas quascunque declarandi iuxta modum, et formam traditam in alio statuto infra de pœnis arbitrarijs loquente.

Non possit autem Consilium praedictum duodecim virorum etiam cum praesentia amborum Dominorum Capitaneorum, qui pro tempore existent, aliquam gratiam indulgere in damnis datis, nec de alia quacunque re, tam civiliter, quam criminaliter, seu mixte intentata.

De modo, et forma congregandi Consilium generale sexaginta virorum, et Consilium duodecim; et de poenis ad illa non venientium. Rubrica VII.

Statuimus, et ordinamus, quod si Domini Capitanei Terræ Sancti Marini pro tempore existentes, vel alter eorum voluerint congregare Consilium generale, debeant de mane in aurora per spatium fere unius horæ sonari facere ad longum tribus intermissis, et reiteratis vicibus campanam Arcis maioris per castellanum eiusdem Arcis, et deinde post aliquot horas per campanam Communitatis, sive maiorem existentem in Plebe Sancti Marini sonari facere requestam, sive requisitionem more solito, qua pulsata, et præmissa, ut supra, generali monitione voce Plazariorum per vias, et plateas clamantium, quod omnes debeant venire ad Consilium, Domini Capitanei debeant semper per eorum Notarium fieri facere in principio Consiliorum requisitionem omnium Consiliariorum, nominando, et vocando nomina eorum alta, et intelligibili voce, et Consiliarij, qui non adfuerint in Consilio quando per Notarium vocabuntur, et nominabuntur, punctentur, et finito Consilio, vel quando Dominis Capitaneis placuerit, cogantur de facto solvere pro pœna paulum unum Papalem, vel ejus valorem integrum, absque aliqua diminutione, et sine alia sententia, et condemnatione Camerario Communis, et hoc pro prima vice, et nisi maior pœna per præceptum, sive monitionem a Dominis Capitaneis, vel eorum Plazarijs esset imposita. Quoniam Capitaneis pro convocando Consilio volumus licere præcipere in scriptis, vel voce Plazariorum singulis Consiliarijs, quod debeant venire ad Consilium sub hora, et pœna eis bene visa, et ab ijs, qui non venerint, pœnas impositas, et incursas de facto exigere posse, omni appellatione remota. Possint tamen Domini Capitanei audire justas, et legitimas excusationes non venientium, et illas admittere, vel non, secundum eorum libitum, et voluntatem, salva semper eorum conscientia. Et punctati, quibus excusatio per Dominos Capitaneos admittetur, nullam pœnam solvere teneantur, illi vero, quibus excusatio non admittetur, poenam incursam integram solvere cogantur. Si vero punctati comparuerint in eodem Consilio post factam requisitionem, stet in arbitrio Dominorum Capitaneorum an illis velint remittere totam pœnam, vel partem ejus, habita consideratione impedimenti, et horæ comparitionis. Quod si Domini Capitanei, vel alter eorum vellent convocare Consilium de mane pro aliqua urgenti necessitate Communis, debeant illud modo, et forma prædictis, sonari facere sero præcedenti,

ante sonitum Ave Mariæ, et iterum in aurora, et mane quo voluerint illud congregare, et similiter paulo post sonari facere requestam, et si eis videbitur, præmissa etiam speciali monitione, et præcepto in scriptis, vel voce Plazariorum sub pœna unius scuti, vel alia maiori eis bene visa, quam integram postea de facto a non venientibus, et inobedientibus exigere teneantur, omni appellatione semper remota. Et prædicta omnia, et singula locum habeant etiam in Consilio, et in Consiliarijs duodecim, præterquam volumus istud sonari cum campana Communitatis, sive maiori existente in Plebe prædicta ad duodecim toccos, aliquali inter unum, et alium intermisso spatio, et similiter ejus requestam, cum eadem campana, more solito, et consueto.

De Arengatoribus. *Rubrica VIII.*

Congregato generali Consilio, et præmissis tam per Dominos Capitaneos, quam per Dominos Consiliarios flexis genibus ad Deum, et ad Divum Marinum pijs precibus, ac deinde propositis quibuscumque placitis Dominis Capitaneis, extrahantur sorte duo Arengatores, qui eorum votum, et consilium publice in eodem Consilio super singulis propositis prædictis explicare debeant. Deinde liceat unicuique alteri in eodem Consilio existenti super præmissis suam semel libere dicere opinionem. Et in casu contradictionis, et discordiæ, nascentis ex dicto saltem duorum contradicentium, ad suffragia, et balluctas deveniatur, et illud intelligatur obtentum, quod maiori numero suffragiorum, et balluctarum erit suffultum, quod postea per Cancellarium nostrum fideliter in scriptis redigatur infra triduum sub pœna viginti bononenorum pro qualibet vice, et ulterius inhabilitatis ad eadem officia, si in fine dicti sui officii compertum fuerit ipsum Cancellarium non scripsisse ad librum propositarum omnia, et singula Consilia, et ejusdem Consilij decreta, et resolutiones factas durante ejus officio, cum facultate cuilibet de populo id denunciandi. Et dictis eorum opinionibus, datisque consilijs, tam per Arengatores, quam per quoscunque alios, qui dare voluerint, nemo amplius replicare valeat, nisi a Dominis Capitaneis licentia fuerit impetrata. Et dum aliquis arengando sermonem habet, et loquitur in Consilio, omnes alij silere debeant, ut in eo pertractanda omni quiete, et pacifice pertractentur. Alias in pœnam viginti bononenorum pro quolibet, et vice qualibet incurrant.

Quod nullus Consiliarius cum aliquo pertractare possit pro officijs, dignitatibus, gratijs, iustitia vel alia quacumque re obtinenda. Rubrica IX.

Nulli licebit cum aliquo Consiliario Reipublicae quomodolibet pertractare pro officio, dignitate, gratia, iustitia, vel alia quacumque re a Consilio nostro generali sexaginta virorum, vel a Consilio duodecim pro se vel pro alijs obtinenda, sub pœna tam petentibus, quam promittentibus suffragia, sive fuerint Consiliarij, sive non, privationis perpetuæ Consilij, et inhabilitatis ad omnes alias dignitates, et officia publica, et insuper scutorum viginti quinque, Cameræ nostræ applicandorum.

De ijs, quae per suffragia obtineri possunt, et de modo obtinendi in Consilio generali. Rubrica X.

Statuimus, et ordinamus quod in nostro magno, et generali Consilio sexaginta virorum non possit aliquid per suffragia, et balluctas pertractari, si in eo numerus saltem quadraginta Consiliariorum non intervenerit, ut etiam supra dictum fuit. Et si in eodem Consilio in sufficienti numero congregato, tractaretur de gratijs indulgendis, impensis imponendis, vel de proventibus Communis Terræ nostræ prædictæ in quacumque summa, et pro quacumque occasione erogandis, (quod ad præfatum generale Consilium tantum spectare volumus) nihil agatur, nisi quod propositum fuerit per suffragia, et balluctas duarum partium ex tribus illorum Consiliariorum, qui in Consilio prædicto præsentes erunt, obtineatur.

In ceteris autem in dicto Consilio pertractandis, id obtentum esse volumus, quod per maiorem partem suffragiorum, et balluctarum illorum Consiliariorum, qui in Consilio adfuerint, obtinebitur, et in casu æqualitatis semper ad eadem suffragia, et balluctas recurratur. Et quidquid contra formam praedictam propositum, actumve fuerit, aut determinatum, vel resolutum, inane sit, et nullius roboris, vel momenti, et pro infecto habeatur.

De gratijs obtinendis in maiori generali Consilio.
Rubrica XI.

Ut delinquentium iniquitates comprimantur, statuimus, et ordinamus quod in futurum nemini gratia pro quocumque delicto, vel quasi, aut de quacumque condemnatione indulgeri possit, nisi pro medietate illius pœnæ, in quam incursus esse dicetur, tam ante, quam post condemnationem. Imo quod in gratijs indulgendis etiam pro medietate pœnæ prædictæ, plurimum facti, et personarum qualitates conspiciantur: habita præterea semper prius fideli, ac sincera prædictorum relatione, saltem a Fiscali nostro, vel a quocumque alio magis informato. Dummodo tamen prædicta ad scrutinium per suffragia, et balluctas admittantur, et maiori suffragiorum, ac balluctarum numero, videlicet duarum partium ex tribus, et non aliter, iuxta solitum obtineantur, sub pœna contra facientibus solvendi Cameræ nostræ Communis illud plus de suo proprio, quod contra hunc ordinem fuerit indultum. Quam pœnam ij quoque incurrant, qui aliquo modo contra prædicta proponere, aut arengare ausi fuerint, maiorem scilicet indulgentiam, et gratiam procurando: declarantes, quod si quis pecuniaria, et corporali pœna simul extiterit condemnatus, non possit ei maior gratia, quam una, vel altera tantum ex dictis pœnis indulgeri. Ita tamen, quod is, cui in ære solvendo satis non est, integra semper corporali pœna afficiatur. Quam qui evitare maluerit, integram similiter pecuniariam pœnam solvere teneatur absque ulla penitus spe remissionis. Immo in maiori summa pecuniaria quandoque gravari possit respectu corporalis indultæ iuxta casuum, et personarum qualitatem.

Advertendo, quod in gratijs indulgendis semper severius agatur in puniendo delicta deliberata, et patrata, quam ea, quæ in pura rixa contingent.

De ijs qui de Consilio generali exire debent.
Rubrica XII.

Quia plerunque affectio, et sanguinis coniunctio impediunt bona consilia, statuimus, et ordinamus, quod dum in Consilio nostro generali sexaginta virorum aliquid pertractari contigerit, vel pro gratijs indulgendis, pœnis arbitrandis, vel pro quacumque alia re, quæ scrutinio diffiniri deberet, omnes qui attinerent illis, de quorum interesse agetur, usque ad tertium gradum affinitatis,

vel consanguinitatis inclusive, secundum ius canonicum computandum, et eorum similiter Advocati, et Procuratores, postquam eorum dederint informationes, si dare voluerint, extra Consilium prædictum exire debeant, nec in eo tunc temporis aliquo modo intervenire possint. Alias eorum suffragia nulliter præstita fuisse intelligantur. Et præterea bononenorum viginti pœnam qualibet vice incurrant.

De electione Dominorum Capitaneorum Reipublicae, et perpetuae libertatis Terrae Sancti Marini, et eorum officio, iurisdictione ac salario. Rubrica XIII.

Non possunt omnes incidentes casus, qui quotidie inter viventes occurrunt, sigillatim humanis legibus comprehendi, ideo omnes Populos antiquissimis legum conditorum sanctionibus sibi ipsis proprias leges constituere posse indultum est, ut inde saltem pœnarum metu calumniantium, improborumque, ac nefandorum iniquitates expellantur, vitiaque, et male vivendi mores extirpentur, et boni virtutum amatores præmia, et honores consequantur, mali autem formidine pœnæ coerceantur, ut cuilibet bene institutæ Reipublicæ convenit.

Ut ergo quilibet nostrae iurisdictioni subditus debitis iuris ordinibus reguletur, et recte viventes condignis honoribus perfruantur, noxij vero debita castigatione comprimantur, quod nisi per iurisdictionem habentes iure exerceri non potest, statuimus, et ordinamus, quod ex numero maioris, ac generalis nostri Consilij sexaginta virorum per brevia duodecim homines in ipso generali Consilio in fine mensium Martij, et Septembris congregando (licet non adesset numerus quadraginta Consiliariorum) sorte diligenter, ac fideliter extrahantur, quorum unusquisque separatim postposito omni privato interesse, coram Dominis Capitaneis pro tempore existentibus, Cancellario Communis, duobus Assistentibus ex numero duodecim Capitaneorum proxime præcedentium sorte antea extractis, et Camerario, ac Fisci Procuratore unum præsentem, sive non diu absentem a iurisdictione Terræ S. Marini, quem idoneum ad Reipublicæ nostræ gubernium existimaverit, et qui incola, et nostræ Terrae, aut territorij originarius, et oriundus, ac aetatis ad minus vigintiquinque annorum existat, et non aliter, nec alio modo, secreto nominare teneatur. Qui duodecim homines sic postea nominati sigillatim unus post alterum in præfato generali Consilio sexaginta virorum suffragijs, hoc est cum bussulis, et balluctis perscrutentur, et eorum sex qui pluribus balluctis alios superaverint, habita consideratione numeri Consiliariorum eos balluctantium, in tribus brevibus bini pro quolibet breve, considerata personarum qualitate, ut magis congruum videbitur, a Capitaneis ac Assistentibus, et Camerario, ac Fisci Procuratore

praedictis describantur. Et dicta tria brevia in uno bussulo sive capello reponantur, unde unum postea breve sorte per puerum in Ecclesia Sancti Petri, vel alibi in Ecclesia eiusdem Plebis, coram praedictis, et alijs civibus a Capitaneis ad id convocatis, audita prius missa Spiritus Sancti ad Altare Gloriosi Protectoris nostri Sancti Marini, diligenter omni dolo, et fraude remotis extrahatur, et descripti in eo sic sorte extracto Capitanei per futuros sex menses existant. Alia autem duo brevia in dicto bussulo sive capello remanentia lacerentur et nullius sint considerationis. Et sic deinceps perpetuis futuris temporibus in electione Dominorum Capitaneorum fienda observetur.

Declarantes quod ab illis duodecim viris ut praefertur de numero Consiliariorum in Consilio extractis nominari pro Capitaneis non possint infrascripti, videlicet, iam tunc temporis semel ab alijs nominati, et similiter filius, frater germanus, socer, et gener tum iam nominati, tum etiam ipsius nominantis. Item nec aliquis ex eis, qui tribus proxime praeteritis annis iam Capitaneus extiterit.

Statuentes etiam quod illius, cui suffragia praestabuntur modo quo supra, germani fratres, consobrini ex linea tam masculina quam fœminina, socer, ac gener, et quivis alij cum eodem coniuncti usque ad secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum inclusive secundum ius canonicum computandum eo tempore in Consilio permanere non debeant, nec quoque modo eis suffragari. Qui Domini Capitanei sic ut praefertur electi debeant assumere officium Capitaneatus die prima mensis Aprilis, vel Octobris audita prius consimili missa, et nullo valeant pacto ultra semestrem in eorum officio confirmari, immo elapso semestri eorum iurisdictio sit, et intelligatur esse finita.

Habeant autem Capitanei praedicti iurisdictionem, et auctoritatem, ac facultatem cognoscendi, diffiniendi, et terminandi omnes, et singulas civiles, criminales, meras, et mixtas lites, et causas vertentes inter homines, et personas Terrae praedictae, et eius comitatus, fortiae, et districtus, et alios quoscumque, secundum formam statutorum, et reformationum Communis Terrae praedictae, quae nunc sunt, vel pro tempore fieri contigerit. Et si statuta, vel reformationes contingentes casus non deciderent, secundum formam iuris communis, et laudabiles consuetudines Terrae praedictae procedere, finire, et terminare valeant. Habeant quoque Capitanei praedicti, et quilibet ipsorum merum, et mixtum imperium, et gladij potestatem cognoscendi, terminandi, diffiniendi, condemnandi, et absolvendi in omnibus, et singulis delictis, excessibus, et maleficijs, vel quasi, quae committerentur in homines, et personas Terrae praedictae, et eius comitatus, et districtus, et in omnes in ea habitantes, ac in rebus eorum. Pœnas quoque imponere possint secundum formam statutorum, et reformationum prædictarum, et ubi statuta, et reformationes non providerent, de similibus ad simi-

lia procedere possint, et condemnare, adaptantes casus occurrentes determinatis prout melius adaptari poterunt, et ubi similitudo non reperiretur, iuxta formam iuris communis, vel eorum arbitrio, iuxta formam statuti de pœnis arbitrarijs loquentis. Quae omnia, ut supra, narrata ambo simul Capitanei praedicti facere, et exequi valeant, et quilibet etiam eorum per se coniunctim, et divisim, et quod per unum cæptum fuerit, per alterum prosequi, et finiri possit. Et si contingat aliquem ipsorum Dominorum Capitaneorum eorum officio durante decedere, vel aliqua de causa, ut puta gravissimæ infirmitatis, vel morbi, impeditum esse aliquo impedimento personali, adeo ut ad dictum officium exercendum interesse non possit, ad alterius Consiliarij subrogationem in locum ejus deveniatur juxta formam prædictam, illaque omnino observentur, quæ in electione Capitaneorum observari debere supra sancitum est, quo ad nominationem, assistentiam, et suffragia, adeo ut in uno tantum Capitaneo observetur, quod in duobus supra observari debere est statutum. Neque ad Capitaneatus officium servato debito ordine electo, et præsenti possit, aut debeat de cetero concedi licentiam se applicandi ad servitia cujuscumque Principis, aut se absentandi a Terra, et jurisdictione Sancti Marini pro majori spatio temporis, quam octo vel quindecim dierum durante dicto tempore Capitaneatus sub pœna perpetuæ infamiæ, et librarum centum cuilibet contrafacienti, attentanti, et proponenti infligenda. Possint etiam Domini Capitanei prædicti, et quilibet eorum justis causis suadentibus pro ipsorum obedientia, et eorum officij dignitate præcipere, et mulctare, et etiam de facto, et absque ulla juris solemnitate pœnas, et mulctas indictas exigere usque ad quantitatem eorum arbitrio indicendam inspecta negotij, loci, et personarum qualitate, dummodo non excedat summam, et quantitatem scutorum trecentorum. Habeant autem Domini Capitanei prædicti, et eorum quilibet a Communi prædicto pro quolibet eorum, et quolibet mense sui regiminis, et officij antedicti salarium solitum, et consuetum. Immunesque ab omnibus oneribus personalibus cum tota eorum familia existant. Et ipsi Domini Capitanei durante eorum officio omnes Officiales, et ceteros quoscumque tum in sedendo, tum in ambulando, ac in quibusvis alijs actibus, tamquam caput Reipublicæ nostræ representantes, semper, et ubique præcedant.

De ingressu, et juramento Dominorum Capitaneorum. Rub. XIV.

Statuimus, et ordinamus quod Domini Capitanei qui ad hunc Magistratum in populari, ac libero hoc statu nostro primarium extracti fuerint, in prima die eorum officij summo mane domo egrediantur, et juxta morem comitantibus civibus vadant ad Palatium communis, ubi aderunt Capitanei quoque sex mensium praecedentium, et inde omnes simul, pri-

mo Capitanei Magistratu exeuntes, et prope eos Capitanei novi subsequentibus civibus ad Plebem accedant, Templum Divo Marino dicatum, et in Terra nostra primarium, et ibidem ad Altare majus Missam Spiritus Sancti audiant, qua audita, et porrectis de more Deo, Divoque Marino Numini nostro tutelari precibus, et decantato a Clero cantico Te Deum laudamus etc, ad Palatium eodem ordine revertantur, et ibidem eisdem primis Capitaneis ad solitum eorum Tribunal cum eorum Cancellario sedentibus, novis vero Capitaneis, et prope eos Doctoribus, ceterisque civibus, et oppidanis suo ordine gradatim in sala magna circumcirca astantibus, indictoque omnibus silentio, egregius ludi litterarij, et juventutis nostræ Moderator, vel unus ex suis primæ classis scolasticis, ad animos eorum qui magistratum ineunt incitandos, latinam orationem habeat. Post hæc, quia verisimile non est, quod illi, quibus Reipublicæ regimen creditur, fiant salutis aeternæ immemores, sed quod eorum, quæ juramento firmaverint, zelo religionis fideles futuri sint observatores, statuimus, eisdem officium ingredientibus de mandato prædecessorum per Cancellarium juramentum deferri sub hac formula videlicet:

Ad laudem, et reverentiam Dei Optimi Maximi ac Beatissimæ Mariæ semper Virginis beatique Marini Patroni, ac defensoris Communis, et Populi dictæ Terrae ejusque curiæ Districtus, et Comitatus, Vos Domini Capitanei nuper vocati, et electi ad Reipublicæ regimen pro sex mensibus futuris hodie Dei gratia inchoandis, et ut sequitur feliciter finiendis, jurabitis ad sancta Dei Evangelia, manu tactis scripturis, quod semper Rempublicam ejusque imperium, libertatem, dignitatem, privilegia, exemptiones, et quævis jura conservari curabitis, et huc oculos, animum, cogitationes, ac studia vestra convertetis, et quod mente vestra præter bonum publicum nihil spectabitis. Paci, et concordiæ civium, qua nil in libero Oppido salubrius, pro viribus intenti eritis, circa custodiam dictæ Terræ diu noctuque vos vigilantissimos præstabitis, statuta, reformationes, decreta dictæ Terræ tam facta, quam fienda, et eis deficientibus bonas, ac laudabiles Populi consuetudines observabitis, ac observari curabitis. Eritis favorabiles, ac benigni defensores Viduarum, Orfanorum, Pupillorum, miserabiliumque personarum, Ecclesiarum quoque, Hospitalium, ac aliorum venerabilium locorum, ac bonorum, et jurium eorumdem. Et continuo debitis temporibus, et hora solita durante vestro officio ad solitum tribunal ad jus cuilibet æquo libramine reddendum sedebitis, et tandem quævis alia semper facietis, quæ ad Reipublicæ ac hominum ejusdem commodum cedere posse existimabitis. Et hoc præstito, ijdem Capitanei consignatis sibi per praedecessores vexillo, ac sigillis Reipublicae una cum clavibus portarum, et fortitiorum dictae Terrae, tribunal Deo auspice ingrediantur, et eorum officium adipiscantur.

Quod Capitanei nullas capiant, habeantve pecunias ad Communitatem spectantes. Rubrica XV.

Capitanei pro tempore existentes nullas possint aliquo modo, nec quovis quaesito colore, vel praetextu (etiam ex cippo Communis) capere pecunias, quae ad communitatem spectarent, nec illas penes se ipsos detinere, sed omnino illae ad Camerarium Communis dirigantur per bullectam, alioquin totidem ex eorum proprijs bonis, et scuta insuper duo in pœnam Communi praedicto solvere teneantur pro qualibet quantitate, quam accepisse constabit.

Quod Capitanei in causis criminalibus ad eorum attinentes spectantibus se se intromittere non possint. Rubrica XVI.

Non possint Capitanei se quoquo modo in causis criminalibus intromittere, in quibus de aliquorum eorum attinentium, consanguineorum, vel affinium, usque ad tertium gradum inclusive secundum jus canonicum computandum, interesse ageretur, nisi in ijs, quae dilationem aliquam non paterentur, et in quibus dilatio damnum, et praejudicium Camerae nostrae afferret. Teneantur autem, omni adhibita diligentia, et solicitudine curare, quod Consilium generale provideat, ut alteri Judici cognitio illius causae demandetur pœna nullitatis omnium actorum, et duorum praeterea scutorum pro qualibet vice, qua extiterit contrafactum.

Quod Capitanei justitiam impedire non possint. Rubrica XVII.

Minus possint Capitanei directe, vel indirecte impedire, vel tardare debitum justitiae cursum. Immo teneantur, et obligati sint praesto esse, et favere omnibus, et singulis Officialibus, permittendo, quod ipsi, tam in causis civilibus, quam criminalibus indifferenter contra quoscumque exequi possint. Nec valeant Capitanei ipsi in judicio, vel extra pro alio quocumque intervenire, etiam sub praetextu justitiae, vel ipsius expeditione. Sed haec omnia per rescriptum tantum, et per commissionem fieri possint, et dum ad eorum tribunal eos

residere contigerit, non autem secreto, vel privatim, sub pœna duorum scutorum pro qualibet vice, qua extiterit contrafactum.

De poena recusantis officium Capitaneatus.
Rubrica XVIII.

Quicumque ad Capitaneatus officium, servato debito ordine, electus, ipsum subire recusaverit, de facto, absque alia causae cognitione, privetur honoribus, officijs, et civilitate Terrae nostrae Sancti Marini, efficiaturque perpetuo infamis, et de facto realiter, et personaliter ad solutionem centum librarum denariorum Camerae Communis adstringatur, absque aliqua recursus, aut reclamationis admissione. Et si quis in ejus favorem aliquid proponere ausus fuerit incontinenti e Consilio eijciatur, cum incursu pœnae librarum centum denariorum Camerae nostrae, ut supra, absque ulla remissione applicandorum, etc.

De Syndicatu Dominorum Capitaneorum, et aliorum officialium.
Rubrica XIX.

Cum leges exclament, quemlibet suae villicationis rationem reddere debere, hoc igitur decreto constituitur, quod Capitanei Terrae Sancti Marini cum Notario, Baroncello, Plazarijs, et ceteris quibuscumque alijs eorum Officialibus in fine eorum officij rationem reddere teneantur omnium per ipsos in eorum officio gestorum, vel ommissorum, et sic stare debeant ad Syndicatum coram duobus Syndicatoribus de eadem Terra Sancti Marini eligendis, modo, et forma infrascriptis, sub pœna inhabilitatis in posterum ejusdem gradus, et dignitatis, et privationis Consilij, et numeri Consiliariorum. Capitanei vero, qui deinde subsequentur, et succedent, curare teneantur, ut Syndicatores quam primum eligantur, et ut omni diligentia Syndicatus praedicti fieri valeant, sub pœna praedicta. Modus autem, et forma eligendi Syndicatores, et Syndicandi Capitaneos, et Officiales erit sequens. Nempe congregato generali Consilio sexaginta virorum, Capitanei successores, qui pro tempore fuerint, debeant proponere electionem Syndicatorum, et omni dolo, et fraude remotis, extrahi facere per puerum ex bussulo, in quo sint brevia continentia nomina omnium Consiliariorum, duo brevia ex praedictis, et Consiliarij in eis descripti debeant accedere ad bancum juris ubi sedent Domini Capitanei, et ibi, postposito omni humano, et privato interesse, alta, et intelligibili voce

nominare in Syndicatores duos alios Consiliarios, videlicet unum pro quolibet, aptos, et idoneos, qui non sint affines, nec consanguinei usque in tertium gradum inclusive secundum jus canonicum computandum, Capitaneorum, vel aliorum Officialium, qui stare debent ad Syndicatum. Coram quibus Syndicatoribus sic nominatis, et electis ad bancum juris per octo dies residentibus ad jus unicuique reddendum, et justitiam administrandam, praecedentibus legitimis bannimentis sono tubae per tres dies summarie procedendo tam diebus feriatis quam non feriatis, sed non in honorem Dei, comparere teneantur, et debeant Procurator Fiscalis ad dandum petitiones pro interesse communitatis, prout etiam quilibet alius particularis pro suo interesse, vel aliorum. Et primi tres dies ex praedictis octo, sint ad querelas, et petitiones proponendas, alij tres sequentes ad justificandum proposita, et ad rimandum in filtias, et libros dictorum Officialium, in fine eorum officij per dictos Dominos Capitaneos successores in praesentia eorum, ac Camerarij, et Procuratoris Fiscalis ligandos, et sigillandos, sicque conservandos, excepto libro actorum Civilium, usque ad electionem Syndicatorum, quibus postea sic ligati consignari debeant. Reliqui vero duo dies sint ad expediendum omnino dictum Syndicatum. Volumus enim, et statuimus quod dicti Syndicatores infra terminum octo dierum, inchoandorum a die incepti Syndicatus, teneantur sententiam condemnatoriam, vel absolutoriam protulisse, quibuscumque non obstantibus, alias ipso facto, et sine alia declaratione hominis, Capitanei, et Officiales praedicti sint absoluti, et Syndicatores condemnati in pœnam duorum scutorum pro quolibet, prout etiam Procurator Fiscalis in alijs duobus, si praedictas suas instantias in scriptis coram dictis Syndicatoribus tempore debito non fecerit. Cum hoc tamen quod si praedicti Syndicatores ex eo forte quod non forent litterati, vel aliquo alio respectu mallent super dictis processibus a se factis consilium alicujus Doctoris, et Sapientis forensis, possint illos processus transmittere ad consilium illius Doctoris, quem ipsi maluerint eligere cum salario unius scuti impensis Communitatis, dummodo in tali casu infra tempus quindecim dierum a die incepti Syndicatus, et non ultra, sententia per eos omnino feratur sub pœnis prædictis, et cetera.

De electione hominum sive Oratorum aut Ambasciatorum Communis ad negotia quaecumque pertractanda. Rubrica. XX.

Quando pro aliquo Communis nostri negotio pertractando aliquem eligere contigerit, ut omnis mala suspitio removeatur, tot homines sorte extrahantur, quot ad illud negotium electi esse debebunt, qui omnimodam habeant auctoritatem eligendi quemcumque, ad illud negotium aptum, et habilem esse declarabunt. Qui tamen sic electi nullam aliam habebunt auctoritatem, nisi se se informandi, et pertractandi, et informata, et pertractata in Consilio generali sexaginta virorum cum eorum opinione referendi, ubi postea quicquid placitum fuerit determinabitur, nisi secus tunc a dicto Consilio disponatur. Quod locum etiam habere volumus in perquirendis Medico Fisico, et Magistro scholae, ac alijs quibuscumque Officialibus. Alias quicquid contra praedicta factum esse constabit, inane sit, et nullius roboris, vel momenti. Oratores autem, Nuncij, et Ambasciatores, qui ad aliquod negotium pertractandum transmittentur in rebus ad Commune spectantibus, eligantur per Dominos Capitaneos ad eorum arbitrium, prout hactenus observatum fuit, et electi, qui recusaverint, pœna Capitaneorum arbitrio plectantur, dummodo summam Scutorum viginti quinque non excedat.

De Ambasciatoribus euntibus pro negotijs Communis, et eorum Salario. Rubrica. XXI.

Item statuimus, et ordinamus quod Ambasciatores electi, ac missi ad aliquod negotium Reipublicæ pertractandum, debeant habere a Communitate equos, famulos, et expensas, et prætereа pro salario diurno cujuslibet eorum paulos duos Papales, famuli vero habeant, singulo die paulum unum pro quolibet. Et si ob illam causam, sine culpa sua, damnum aliquod sustinuerint, releventur, et relevari debeant de dicto damno a nostra Communitate etc.

De recursu petito concedendo, vel non.
Rubrica. XXII.

Si quis ab aliquo præcepto, vel aliqua alia re extraordinaria se gravatum esse præsumpserit, ad Consilium duodecim virorum, et ab eo ad Consilium generale sexaginta virorum recurrere possit. Ita tamen quod non comprehendantur casus, in quibus ordinarie coram Judicibus procederetur, nisi quatenus de jure etiam in eis veniret concedendus.

De electione, officio, et mercede Procuratoris Fiscalis.
Rubrica. XXIII.

Describantur in brevibus omnes Notarij qui habiles reputabuntur ad officium Procuratoris Fiscalis exercendum, et postea ex loco, ubi reposita erunt brevia ipsa, unum breve sorte extrahatur, et qui in eo descriptus erit, ad dictum officium per annum admittatur, cujus officium sit omni diligentia curare exactiones omnium, et singularum condemnationum nulla habita personarum acceptatione, nec non instare continuo tam apud Dominos Capitaneos, quam in Consilio, et apud Dominos Judices appellationum, ut delinquentes incorrigibiles condignis pœnis puniantur, et in qualibet causa criminali, vel civili, vel damnorum datorum pro interesse Communitatis facere acta, et instantias opportunas, et necessarias pro expeditione dictarum causarum ad favorem Fisci, coram prædictis, et alijs Judicibus sub pœna amissionis officij, mercedis, nec non inhabilitatis ad illud, et quælibet alia officia publica, ac privationis, et inhabilitatis perpetuæ ad dignitatem Consiliarij. Et quotiescumque in Consilio tractabitur de gratijs faciendis, teneatur instare, ut legantur per Cancellarium omnes reformationes factæ, et fiendæ super modo, et forma gratiandi sub pœna unius scuti pro qualibet vice, qua defecerit. Habeatque pro sua mercede unum bononenum pro qualibet libra denariorum de omnibus pœnis incameratis, et in libro Camerarij descriptis, et pro incameratis tempore ejus officij habitis, per ipsum tamen ab ipsis condemnatis, et a quolibet eorum exigendum. Qui Procurator fiscalis sit, et esse debeat originarius nostræ Terræ prædictæ.

De electione, ac officio Camerarij. *Rubrica.* *XXIV.*

Scribantur in brevibus omnes ex originarijs Terrae nostrae qui habiles reputabuntur ad officium Camerariatus exercendum, et postea ex loco, ubi reposita erunt brevia ipsa, unum breve sorte extrahatur, et qui in eo descriptus erit, ad dictum officium Camerarij per annum admittatur. Qui omnes introitus, redditus, et proventus dictae Communitatis ejusque pertinentiarum recipere, et exigere libere, et cum effectu, et de eis curam habere debebit, prout, et sicut posset ipsa Communitas, hoc modo videlicet. Ut primo recipiat bullectam scriptam manu Cancellarij, et subscriptam manu Dominorum Capitaneorum, vel alterius eorum, continentem quantitatem, et causam; quam bullectam Camerarius apud se postea retinere debeat, et summam in ea contentam praesentanti bullectam solvere, vel in pecunia numerata, vel per aliam bullectam ab ipso faciendam, et dirigendam in scripto debitori dicti Communis. Quae omnes bullectae in filo ipsius conserventur, ut rationem suae administrationis in fine ejus officij, vel quandocumque reddere possit. Prohibentes quod ipse Camerarius nemini de pecunia Communis solvere debeat, et possit, absque simili bullecta, sub pœna solvendi de proprijs pecunijs eamdem summam iterum Camerae nostrae, et ulterius viginti bononenos pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit. Et debitores Communitatis nulli alio possint, aut debeant quovis modo solvere, et si secus fiat, nihil eis proficiat, et non intelligantur liberati, sed per ipsum Camerarium, dicta solutione non obstante, possint exigi cum effectu talia credita dicti Communis, sic nulliter, et male exacta, habeatque pro sua mercede libras sexdecim denariorum.

Quod Camerarius, et alij exactores Communis de eorum administratione, et de exactis rationem reddere teneantur.
Rubrica. *XXV.*

Camerarius noster, et alij exactores publici finito eorum officio, de gestis, exactis, et administratis per eos, et eorum quemlibet rationem fideliter reddere teneantur, cum reliquorum integra restitutione, pœna prædictis, et eorum cuilibet, qui bis saltem in mense post finem eorum officij coram Dominis Capitaneis pro tempore existentibus pro revisione praedicta fienda non institerit, scutorum trium pro qualibet vice. Et nihilominus ad rationem reddendam cum

reliquorum integra restitutione statim in manibus eorum, et cuiuslibet ipsorum successorum fienda cogantur, etc.

De revisoribus computorum Communitatis, et Abundantiae, ac privilegijs creditorum ipsius Abundantiae.
Rubrica XXVI.

Ad obviandum fraudibus, quae ullo unquam tempore in damnum, et praeiudicium Reipublicae nostrae admitti possent, maiorum nostrorum consuetudinem sequentes, et decreta confirmantes, statuimus, et ordinamus, quod Domini Capitanei, qui pro tempore fuerint, una cum Judicibus appellationum, Procuratore Fiscali, ac Camerario nostro, sint ordinarij Revisores computorum ipsius Communitatis, quorum officium, praevio eorum iuramento, sit debitis, ac statutis temporibus, et quotiescumque ipsis Dominis Capitaneis placuerit optime revidendi computa omnium, ac singulorum tum Officialium, tum exactorum, ac debitorum, et creditorum ipsius Communitatis, nec non saldandi, et describi faciendi ad libros Communis, et Camerarij partitas cuiuscumque, prout invenerint quem esse debitorem, vel creditorem ipsius Communitatis, et in quanta summa. Et ab eorum saldis, et quietantijs, nemo possit, aut debeat reclamare, nisi ex aliqua iusta, et legitima causa, aut manifeste appareret de errore calculi. Et casu quo Dominis Capitaneis aliquis de praedictis videretur suspectus, vel minus idoneus, sive interessatus in aliquibus computis, habeant facultatem, et auctoritatem vocandi etiam aliquem alium, vel ex nostris civibus, vel aliunde, ad dicta computa cum ipsis, et alijs praenominatis revidenda, et quod ab ipsis factum erit plenam habeat roboris firmitatem; nec a quoquam possit infringi, aut debilitari sub aliquo praetextu, vel quaesito colore. Revisores vero computorum Annonae eligantur modo infrascripto. Nempe in magno, ac generali Consilio nostro statim facta electione novorum Praefectorum ipsius Annonae, axtrahantur de bussulo, in quo sint brevia continentia nomina omnium Consiliariorum, quatuor de dictis brevibus, et quilibet de descriptis in eis sic extractis, medio eius iuramento, teneatur tunc nominare, et eligere coram Dominis Capitaneis unum de Terra Sancti Marini, vel aliunde aptum, et idoneum in revisorem computorum sive Officialium Annonae praecedentis anni. Qui quatuor sic electi, praevio eorum iuramento, omnimodam habeant auctoritatem iuste, recte, et absque aliqua humana passione dicta computa infra decem dies immediate sequentes revi-

dendi, et una cum Dominis Capitaneis, Procuratore Fisci, et Camerario saldandi. Et casu quo invenerint aliquem de dictis Praefectis, sive Officialibus debitorem ipsius Annonae in aliqua summa, debeant ipsi Domini Capitanei infra terminum unius mensis immediate sequentis, compellere ipsos Praefectos, et Officiales, vel per retentionem eorum personae, vel aliter quomodocumque ad consignandum, et remittendum in manibus successorum in eodem officio, vel aliorum deputandorum a dicto Consilio omnem, et quamcumque pecuniarum quantitatem ipsius Abundantiae absque aliqua tergiversatione, vel excusatione, nisi forte de ordine, et commissione dicti generalis Consilij, durante eorum officio alicui dedissent aliquam quantitatem grani, vel pecuniarum; nam eo casu pro dicta summa ipsi sint excusati. Contra debitores vero dictorum Præfectorum, sive Officialium Annonae, ex tali causa, et occasione per dominos Capitaneos procedatur modo infrascripto. Nempe teneantur ex eorum officio, sive ad instantiam novorum Praefectorum exequi tam contra res, quam etiam contra personas dictorum debitorum uno, et eodem tempore pro recuperatione omnium pecuniarum per dictos eorum debitores debitarum manu regia, nullo ordine iuris, et statutorum servato usque ad integram universi debiti satisfactionem. Et casu quo in bonis immobilibus alicuius, nomine ipsius Annonæ fiat executio, talia bona immobilia in tenutam sic capta, infra terminum quindecim dierum possint per eorum Dominos relui, et redimi. Alias elapso dicto tempore talia bona immobilia sive terræ, et quælibet alia in executionem capta ad sonum tubæ magis offerenti vendantur pro satisfactione ipsius Abundantiae. Et ementes dicta bona nullo unquam tempore ea restituere compelli possint: derogantes favore ipsius Annonae cuilibet statuto, vel decreto disponenti emptores rerum, et bonorum in tenutam captorum cogendos esse infra annum ea restituere. Volentes emptores talium bonorum esse liberos, et absolutos dominos, et possessores ipsorum, nec a quoquam sub quovis praetextu aut quaesito colore super eis molestari, aut inquietari posse, vel debere. Concedentes etiam Annonae hoc particulare privilegium contra eius debitores, quod eius credita semper praeferantur quibuscumque alijs, sive prioribus in tempore, sive obligatis, et hypothecatis per instrumenta, vel quocumque alio modo, praeterquam in causis dotalibus, statuentes expresse hoc in perpetuum valituro decreto causas ipsius Abundantiae in futurum decidi, et terminari debere summarie, manu regia, nullo iuris aut statutorum ordine servato, et cum omni favore ac privilegio; eiusque credita ceteris alijs semper esse praeferenda, ut praedictum fuit, non obstantibus quibuscumque, etc.

De electione Officialium damnorum datorum, Capitaneorum Serravallis, Faitani, et Montis giardini, et eorum officio. Rubrica XXVII.

Describantur in brevibus Doctores, et Notarij Terrae, et Territorij Sancti Marini, et praedicta brevia serventur in tribus urnis, seu bussolis, ita ut quaelibet urna, seu bussolus contineat brevia, in quibus sint descripta nomina dictorum Doctorum, et Notariorum, quae urnae, et bussoli una cum ceteris alijs urnis, et bussolis aliorum Officialium obsignentur sigillo Communis, et deinde reponantur in quadam capsula, cuius clavis consignetur Praefecto Archivij pro tempore existenti, et talis capsula sic clausa reponatur in banco Dominorum Capitaneorum iuxta solitum, et postea in principio cuiuslibet Capitaneatus in primo Consilio generali per eos coadunando sorte extrahantur brevia ad officia praedicta damnorum datorum, et Capitaneorum Serravallis, Faitani, et Montis giardini, videlicet unum breve ex qualibet urna, seu bussulo pro quolibet dictorum officiorum. Qui sic sorte per brevia extracti, sint, et esse intelligantur electi ad officia praedicta per sex menses, et non ultra, et sic semper servetur in perpetuum in electione, et extractione dictorum Officialium. Declarantes, quod nemo praedictorum tam Officialium damnorum datorum, quam Capitaneorum praedictorum Castrorum per aliquem ab eis, vel eorum quolibet in dicto officio substitutum inservire valeat, nisi substitutus ille a maiori parte Consiliariorum sexaginta virorum extiterit approbatus per suffragia, et balluctas, et non aliter. Et facta imbussulatione praedicta nemo alius superaddi possit, nisi completa penitus extractione omnium imbussulatorum, sub pœna nullitatis superadditis, et Dominis Capitaneis contrarium proponentibus ammissionis eorum salarij. Declarantes insuper quod in dictis urnis, et bussolis nullus Notarius poni valeat, qui non extiterit approbatus, et declaratus idoneus per maiorem partem Consiliariorum sexaginta virorum eos balluctantium, et quod substituendi sint, et esse debeant de praedictis approbatis, et imbussulatis. In fine autem eorum officij, Notarius damnorum datorum Terrae nostrae debeat infra octo dies immediate sequentes consignasse libros querelarum, et condemnationum dictorum damnorum datorum Dominis Capitaneis. Qui una cum Procuratore Fiscali, et Camerario infra alios octo dies immediate sequentes debeant facto per ipsos diligenti calculo cum dicto Notario de contentis in dictis libris querelarum, et condemnationum, et eidem Notario pro sua mercede assignata quarta parte dictae summae

in tot condemnatis arbitrio Dominorum Capitaneorum, Camerarij, et Fiscalis, de residuo dictae summae, videlicet de tribus partibus ex quatuor, debeant facere partitam in libro Camerarij. Et his peractis debeant Domini Capitanei reddere librum dictarum condemnationum eidem Notario, cum onere exigendi infra sex menses immediate sequentes omnem portionem dictae Communitatis, cum mercede duorum bononenorum pro qualibet libra denariorum, sub pœna eidem Notario solvendi de suo dictae Communitati omne residuum infra dictum tempus per ipsum non exactum, et non solutum habita semper consideratione gratiatorum. Et idem ordo observetur, et observari debeat per capitaneos Castrorum Serravallis, Faitani, et Montis giardini, quo ad rationem per ipsos reddendam Consiliarijs Serravallis, et Faitani, et Vice Capitaneis Montis giardini, et libros consignandos, et calculum faciendum pro exactione habenda iuxta stilum, et dictorum locorum consuetudinem, etc.

De electione Massarij Communis, et eius officio.
Rubrica XXVIII.

Eligant Domini Capitanei in principio eorum officij virum idoneum, et legalem de Terra nostra Sancti Marini in Massarium Communis, cuius officium duret per sex menses, et non nltra. Qui Massarius sic electus sciat legere, et scribere, et iure iurando promittat huiusmodi officium diligenter, et omni fraude remota administrare. Tenebitur autem his Massarius omnia pignora quae in executionem sententiarum, vel mandatorum Dominorum Capitaneorum, vel quorumcumque Iudicum capta fuerint per executores Communis, et similiter bestias quascumque, quae sibi assignarentur de executionibus praedictis, vel aliter quomodocumque, ad mandatum praedictorum Dominorum Capitaneorum apud se fideliter custodire, et nemini restituere absque expressa eorundem Dominorum Capitaneorum commissione. Et notabit in libro suo ad hoc specialiter deputato diem, et annum assignationum sibi de praedictis factarum, et nomen executoris, qui assignavit, et ad cuius instantiam, et illius, cuius sunt dicta pignora, et bestiae, et pro qua quantitate fuerint capta; pœna, si in prædictis defecerit, unius scuti pro qualibet vice, qua fuerit contrafactum, et reficiendi Dominis pignorum, et bestiarum omnia damna, quae eius culpa contigerint. Et qui sic fuerit electus in Massarium, teneatur officium acceptare, sub pœna unius scuti, et nihilominus officium praedictum acceptare et facere teneatur. Habeat autem a Communi prædicto pro eius mer-

cede, et salario bononenos duos pro qualibet libra denariorum, qui ad Cameram Communis, ejus officio mediante pervenient, et bononenum unum pro quolibet pignore sumptibus domini pignoris.

De officio Cancellarij, et Notarij Communis.
Rubrica. XXIX.

Scribantur in folio omnes Notarij Terrae Sancti Marini, qui a maiori parte Consiliariorum sexaginta virorum, per suffragia, et balluctas, exclusis de Consilio eorum consanguineis, et affinibus usque ad secundum gradum inclusive, secundum ius canonicum computandum, habiles, et idonei reputabuntur ad officium Cancellariae nostrae, et dictum folium reponatur in bussulo particulari conservando in capsula aliorum officialium extrahendorum. Et Domini Capitanei, qui pro tempore fuerint, in ingressu eorum officij, sumpto in manibus dicto folio, debeant eligere unum de descriptis in eo, quem maluerint in eorum Notarium, et Cancellarium per sex menses, et non pro minori spatio temporis; et casu quo Domini Capitanei forent discordes in eligendo, talis electio sit Consilij generalis, dummodo eligendus sit de comprehensis in dicto folio, in quo non possit aliquis addi, nisi servata forma, et modo praedictis, et nisi post annum, de una ad aliam balluctationem numerandum. Qui Cancellarius Communitatis sic electus debeat iurare in manibus Dominorum Capitaneorum ejus officium bene, et legaliter exercere, nec non obedire ipsis Dominis Capitaneis, qui eidem teneantur consignare libros colligatos, et in quibus numerus cartarum sigillatim fuerit adnotatus, et signo Communis obsignatus, et in eis, et non alibi scribere debeat omnia acta tam in civilibus, quam in criminalibus causis, et cetera alia ad causas spectantia, adeo ut omnia gesta quandocumque haberi possint, et perpetuo conservari, nec non debeat scribere omnia Consilia ad libros propositarum, et alia facere ad quae tenetur tam de stilo, et consuetudine, quam ex forma aliorum statutorum praesentis voluminis.

Declarantes, quod Notarij Dominorum Capitaneorum, qui pro tempore fuerint, teneantur, et obligati sint gratis facere, et complere omnia instrumenta, et scripturas ad dictam Communitatem pertinentia, et spectantia, sive in causis civilibus, vel criminalibus, vel in quibuscumque alijs negotijs pertinentibus ad dictam Communitatem, et etiam pro commissionibus, et alijs actis, quae fierent pro reluendis, et exigendis creditis a debitoribus Communitatis ad petitionem Camerarij Fiscalis, et Massariorum; et quod per eum

in dictis libris scriptum fuerit, valeat, teneat, ac plenam habeat roboris firmitatem sub pœna tam ipsis Dominis Capitaneis, quam ipsi Cancellario si praedicta omnia, vel singula non observaverint, scutorum duorum pro quolibet ipsorum, et qualibet vice, et nullum sit ac intelligatur ipso iure quicquid alibi quam in dictis libris per eum scriptum fuerit, et quomodolibet adnotatum. Et ulterius dictus Cancellarius teneatur parti ad omnia damna, et interesse.

Teneatur etiam, et debeat Cancellarius ipse diligenter adnotare omnes, et singulos, qui custodias Terræ nostræ Sancti Marini iuxta consuetudinem, et eorum debitum non faciunt, et qui ad Consilium, et Arengum, quando iuxta solitum congregantur, non accedunt, nec non eos, qui tempore debito ligna ad Communitatem similiter iuxta solitum non ferunt, quorum omnium prædictorum notulam apud se continuo habeat, et ad notitiam Fiscalis deducat, ut procurare, ac instare possit coram Dominis Capitaneis quod inobedientes condemnentur, eisque condemnatis, condemnationes illorum executioni mandentur. Et in fine eius officij rationem omnium prædictorum per ipsum gestorum occasionibus prædictis reddere teneatur sub pœna scuti unius pro qualibet vice qua fuerit contrafactum, etc.

Habeat autem pro suo salario libras decem denariorum pro quolibet semestri sibi persolvendas de publico in fine cujuslibet semestris. Et Procuratores, sive Principales non possint cogere dictum Notarium ad scribendum acta tum civilia, tum criminalia, nisi soluta incontinenti competenti mercede iuxta taxam, et quod dicti Cancellarij teneantur finito eorum officio infra decem dies immediate sequentes præsentasse Præfecto Archivij omnes, et singulos libros quos confecerint eorum officio durante una cum omnibus alijs scripturis, quæ ad eorum manus pervenerint, sub pœna decem scutorum Cameræ dictæ Terræ de facto applicandorum, et inhabilitatis perpetuæ ad dictum officium. Et si Dominis Capitaneis pro tempore existentibus videretur magis expediens Notarius forensis, possint id proponere in Consilio generali, et si a maiori parte Consiliariorum per balluctas resolutum fuerit debere eligi dictum Notarium forensem, tunc Domini Capitanei possint, ac debeant proponere saltem duos vel plures Notarios forenses aptos, et idoneos, et qui ex eis balluctas albas a maiori parte Consiliariorum obtinuerit, illarumque maiori numero ceteros balluctatos superaverit, sit, et intelligatur electus Actuarius duorum Dominorum Capitaneorum ad criminalia, civilia, et ad damna personaliter data, tantum eorum officio durante, et non ultra.

Relicta sigillorum Communitatis, et aliorum negotiorum cura alteri Notario sive Cancellario terrigenae per Dominos Capitaneos de comprehensis in dicto folio eligendo, cum capitulis ab eodem Consilio, sive a deputandis,

eisdem statuendis. Qui Cancellarius, et Actuarius sive terrigena, sive forensis teneatur, et sit obligatus qualibet die iuridica statim, et incontinenti dicta prima Missa in Plebe nostra Sancti Marini, et pulsata tertia, comparere in domo Communis, ibique permanere ad suum officium exercendum donec, et quousque Domini Capitanei sive alter eorum, aut alij Judices iustitiae praepositi inde non recesserint sub pœna bononenorum decem pro qualibet vice qua contravenerit huic decreto de facto in cippo Communis persolvenda.

De electione Praefectorum Archivij, et eorum officio.
Rubrica. XXX.

Proponant Domini Capitanei pro tempore existentes, et alij Consiliarij medio eorum iuramento omnes homines qui ipsis magis idonei ad hoc officium videbuntur in Consilio maiori sexaginta virorum, et ibi separatim ad scrutinium per suffragia, et balluctas admittantur, et duo ex eis qui majorem numerum suffragiorum obtinuerint sint, et esse intelligantur Præfecti Archivij nostræ Terræ Sancti Marini. Qui pro diligenti eorum officij administratiòne a Dominis Capitaneis prædictis, et a præcessoribus in dicto officio recipere debeant omnes, et singulas scripturas cujuscumque qualitatis, instrumenta, privilegia, indulta, litteras, libros, catastra, et generaliter omnia alia ad dictum Archivium spectantia, et quae in eo conservari, custodirive solent per inventarium manu Cancellarij Communis quod in manibus praefatorum Dominorum Capitaneorum remanere debebit. Et ea omnia quae in Archivio reposita fuerint, diligenter custodire teneantur, et nemini libros, nec scripturam aliquam tradere etiam de mandato Dominorum Capitaneorum, sed solum copias actorum, et aliarum scripturarum civilium volentibus, et interesse praetendentibus, sumptibus semper petentis, praeterquam praedictae Communitatis, cui eas, et alia quaecumque extracta manu Cancellarij Communis pro suo interesse teneantur dare gratis. Nec ex eis aliquid ullo modo extra Terram nostram praefatam Sancti Marini transmittere, vel exportare poterunt sub quovis quaesito colore absque expressa licentia nostri Consilij generalis sexaginta virorum in scriptis obtinenda, et per Cancellarium nostrum prædictum in libris propositarum adnotanda, si de instrumentis publicis, privilegijs, et indultis quibuscumque, vel aliquo alio ad libertatem, et iurisdictionem nostram quomodolibet spectantibus transmittendo, vel exportando pertractabitur. Si autem de alijs scripturis, processibus, et sententijs quibuscumque transmittendis, vel exportandis agetur, sine licentia Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim virorum similiter in scriptis

obtinenda, et in eodem libro propositarum per eundem Cancellarium adnotanda, pœna prædictis Archivij Præfectis in primo capite triremium per quinquennium, et quinquaginta scutorum Cameræ nostræ applicandorum, et maiori etiam usque ad mortem naturalem inclusive, si inspecta casus qualitate, ita puniri posse, ac convenire videbitur ipsi Consilio generali, vel alteri Judici ab eo specialiter deputando.

In secundo autem capite de alijs scripturis processibus, et sententijs ut supra scutorum vigintiquinque similiter præfatæ Cameræ applicandorum: declarantes prædictas pœnas in primo capite appositas non habere locum quando prædicta iura, et scripturæ de mandato Dominorum Capitaneorum traderent pro bono publico dictæ Terræ, vel pro conservatione iurium alicujus ex nostris subditis. Et similiter in secundo capite contenta non habere locum quando copiæ iurium civilium tantum alicui ex partibus de mandato Dominorum Capitaneorum traderentur vocatis tamen habentibus interesse. Qui præfecti Archivij prædicti ad beneplacitum dicti Consilij in eorum officio permaneant. Et pro eorum salario, et mercede habeant ultra emolumenta prædicta duos bononenos pro qualibet partita librorum extimi, videlicet unum a quolibet instante suas partitas poni, vel adimi in dictis libris. Et hoc non intelligatur officium cum quolibet alio incompatibile.

De electione, officio, ac mercede Domini Commissarij.
Rubrica. XXXI.

Considerantes quam difficile sit inter suos consanguineos, affines, concives, et familiares iustitiam æquali statera, et libramine administrare, et præsertim ubi agitur de nece, et vita hominum, et alijs gravibus, et irreparabilibus præiudicijs, idcirco eveniente casu quo Domini Capitanei pro tempore existentes, vel alter eorum, seu Domini Consiliarij saltem ad numerum duorum pro aliqua causa gravi iudicaverint opus esse Officiali forense, qui nullo motus odio, vel amore æqualiter cunctis ius dicat, statuimus, et ordinamus per dictos Dominos Capitaneos debere convocari, et congregari Consilium magnum, et generale, et facta in eo sic congregato hujusmodi propositione, cuique Consiliario liceat libere dicere suam sententiam, et voluntatem. Et si omnes, excepto uno, erunt concordes in hoc, quod Terra nostra non indigeat Officiali forense, tunc, et eo casu nolumus deveniri ad electionem dicti Officialis forensis. Si vero Capitanei aut Consiliarij saltem ad numerum duorum dixerint opus esse dicto Officiali forensi, tunc deveniatur ad suffragia, et ballu-

ctas, quæ si in pari, aut maiori numero erunt nigræ, tunc, et eo casu nullo pacto volumus aliquem Officialem forensem eligi; aut vocari debere. Et contrarium proponentes, et tentantes denuo, non superveniente aliqua causa urgenti, non audiantur, et ulterius pœnam unius scuti pro quolibet, et pro qualibet vice de facto solvere teneantur. Si vero in maiori numero erunt albae, tunc, et eo casu, volumus, et mandamus ad electionem dicti officialis forensis deveniri debere hoc modo videlicet, quod tam ipsi Domini Capitanei quam ceteri Consiliarij volentes, medio eorum iuramento, pro quolibet eorum proponere possint unum legum Doctorem forensem de statu, et dominio Serenissimi Domini Ducis Urbini nostri Protectoris, vel aliunde, qui sit praticus, expertus, doctus, et idoneus ad gubernium Terrae nostrae Sancti Marini, et qui saltem duo alia officia exercuerit in aliqua Civitate, Terra, vel oppido. Qui sic propositi ad suffragia ponantur, et qui maiorem numerum balluctarum albarum habuerit, sit, et censeatur electus in nostrum Commissarium per sex menses immediate subsequentes, et deinde ad beneplacitum nostrum. Si vero unus solus proponeretur, et non obtineret balluctas albas a maiori parte Consiliariorum, censeatur reiectus, et recusatus, et ad aliorum propositionem, et electionem deveniatur, et semper modo, et forma praedictis. Vel si magis placuerit eidem Consilio, poterunt Domini Capitanei pro tempore existentes per eorum litteras, sive Nuncios, et Oratores significare praefato Serenissimo Dom. Duci Urbini Reipublicae, et libertatis nostrae Protectori hujusmodi resolutionem, et indigentiam nostram alicujus officialis forensis, et rogare suam celsitudinem, ut velit pro ejus summa benignitate, nobis proponere per tempus a dicto Consilio resolutum aliquem ex doctoribus ejus status, et dominij, vel aliunde, qui sit praticus, expertus, ac idoneus pro administratione iustitiae in Terra nostra, et qui saltem fuerit officialis in duobus alijs locis. Et statim habitis litteris suae celsitudinis in quibus aliquem nobis proponat, debeant dictae litterae legi in generali Consilio per Dominos Capitaneos denuo congregando, et si quis ex Consiliarijs allegaverit personam nobis propositam non esse idoneam pro administratione iustitiae in Terra nostra ex aliqua iusta, vera, ac rationabili causa, ut puta, si diceret talem Doctorem nobis propositum esse consanguineum, affinem, amicum, vel inimicum alicujus ex nostris civibus, vel alios pati defectus per ipsos Consiliarios Dominis Capitaneis publice, vel saltem secreto ad eorum aures propalandos, tunc ipsi Domini Capitanei debeant rescribere, et praedicta omnia notificare suae celsitudini, quae si rescripserit eisdem Dominis Capitaneis Doctoris praedicti personam, praedictis non obstantibus, fore aptam ad gubernium Terrae nostrae, vel praefatis causis mota alium Docto-

rem similes defectus non patientem nobis proposuerit, illico, et incontinenti volumus per eosdem Dominos Capitaneos Terrae nostrae transmitti aliquem de nostris hominibus ad dictum Doctorem, in Commissarium nobis propositum cum litteris humanissimis eidem directis Capitaneorum, et Consilij nomine subscriptis, necnon cum capitulis, et litteris patentibus, quibus electio per nos facta ejus personæ ad ejusdem notitiam deducatur. Quibus litteris, et Patentibus receptis, et acceptatis per Doctorem sic, vel alio superiori modo electum in nostrum Commissarium, volumus illum infra breve aliquod spatium temporis, ut puta octo, vel decem dierum teneri, et obligatum esse conducere ad officium præfatæ nostræ Terræ ejus sumptibus, et expensis personam suam, ac unum bonum Notarium ad maleficia tantum, et ad damna personaliter data, idoneum, et sufficientem cum emolumentis contentis in notula capitulorum eidem transmissa, seu transmittenda. Et ubi in dictam Terram nostram pervenerint, antequam officium capiant, de eo fideliter, juste, integreque administrando jusjurandum præstabunt in forma, et de observatione statutorum, ordinamentorum, et reformationum dictae nostrae Terrae sub pœnis in statutis nostris contentis, et periurij.

Eruntque postea fideles tam ipse Commissarius, quam ejus Notarius statui perpetuæ libertatis, et Reipublicæ nostræ, et Dominis Capitaneis ejusdem, qui tanquam totam Reipublicæ universitatem repræsentantes, et tanquam capita hujus Reipublicæ, Dominij, et Populi, debeant etiam eidem Commissario semper præcedere, et primum locum tenere. Habebit autem dictus Commissarius in solidum cum Dominis Capitaneis, et quolibet eorum jurisdictionem, auctoritatem, et facultatem cognoscendi, diffiniendi, et terminandi omnes, et singulas civiles, criminales, meras, et mixtas lites, et causas vertentes inter homines, et personas in Terra prædicta, et ejus comitatu, fortia, et districtu, secundum formam statutorum, et reformationum Communis Terræ prædictæ, quæ nunc sunt, vel pro tempore fuerint. Et si statuta, vel reformationes de quibuscumque non disponerent, vel providerent, secundum formam juris communis, et laudabiles consuetudines Terræ prædictæ debeat in praedictis procedere, finire, et terminare. Habebit etiam dictus Commissarius una cum Dom. Capitaneis in solidum, ut supra, merum, et mixtum imperium, et gladij potestatem cognoscendi, terminandi, diffiniendi, et condemnandi, ac absolvendi de omnibus, et singulis delictis, et excessibus, maleficijs, vel quasi, quae committerentur in homines, et personas de Terra antedicta, et ejus comitatu, fortia, et districtu, vel alias in eadem habitantes, ac in eorum bona, pœnasque imponendi secundum formam statutorum, et reformationum praedictarum. Et ubi statuta, et reformationes non providerent, de si-

milibus ad similia procedere possit, et condemnare, et ubi similitudo non reperiretur secundum formam iuris communis; vel ejus arbitrio, considerata conditione personarum, et qualitate facti, delicti, et excessus, et alijs circumstantijs, quae sibi videbuntur convenire, etc.

Qualibet vero die iuridica hora consueta, et a statutis ordinata pulsari curabit per aliquem ex nostris Plazarijs iuxta consuetudinem campanam Communitatis, sive majorem existentem in Plebe Terrae nostrae, illaque pulsata, conferet se ad solitum tribunal, et bancum iuris dictae nostrae Reipublicae in Palatio Communis ad ius reddendum, tribuendo unicuique ius suum sub pœna viginti solidorum de facto singula vice qua contrafecerit persolvenda. Durante etiam ejus officio subire teneatur onus advocationis pro Communitate nostra, et maxime in causis appellationum a sententijs per illum ferendis, absque mercede, et salario, nec non gratis facere ea, quae eidem demandabuntur, et committentur a nostro generali Consilio.

Teneatur pariter facere, et fieri facere cum effectu omnes, et singulas executiones condemnationum contentas in eadem notula capitulorum, et secundum eorum formam, et tenorem, etc.

Neque licebit eidem Commissario, aut ejus Notario recipere aliquam denariorum quantitatem ad Cameram nostram spectantem, sine bullecta nostri Camerarij sub pœna amissionis ejus salarij unius mensis vice qualibet.

Neque minus eidem Commissario licebit aliquem ex nostris subditis carcerari facere ad instantiam alicujus forensis, neque nostros subditos, vel alios forenses carceratos alteri Officiali extra jurisdictionem nostram remittere, irrequisitis Dominis Capitaneis in primo casu, et in ultimo Consilio generali, et sine ejus expressa licentia, etc.

Debeat etiam ipse Commissarius de quocunque delicto extraordinario annotationem fieri facere per ejus Cancellarium in libris eidem per Dominos Capitaneos dandis, et bullandis infra terminum unius diei sub pœna in capitulis contenta, ipsosque libros, ut supra eidem consignandos relaxare debeat tempore ejus Syndicatus Dominis Capitaneis, et Syndicatoribus iuxta formam, et tenorem decreti de Syndicatu Capitaneorum. In quibus etiam libris describi debeant omnes, et quæcunque relationes, denunciationes maleficiorum, et querelarum, quæ fuerint ab Officialibus, et relatoribus maleficiorum factæ, seu ab alijs particularibus personis, et in illis procedere debeat secundum formam statutorum dictæ nostræ Reipublicæ sub pœnis in eis contentis, etc.

In casibus autem, in quibus accusatori secreto veniret applicanda aliqua pars pœnæ, dictus accusator debeat detegi, et manifestari, per Commissarium Dominis Capitaneis dictae nostrae Reipublicae, vel eorum alteri, et ab eorum

manibus, vel Camerarij nostri recipere talem portionem pœnae, et non ab alijs, etc.

Residebit ipse Dominus Commissarius continue in Terra Sancti Marini in domo, et Palatio eidem deputando, nec de dicta nostra Terra, ac ejus districtu se absentabit, sine licentia Dominorum Capitaneorum, et nostri generalis Consilij sub pœna librarum vigintiquinque denariorum, etc.

Finito vero ejus officio, tam ipse, quam ejus Cancellarius stabunt ad Syndicatum, usque ad finem dicti Syndicatus, coram Dominis Syndicatoribus eligendis iuxta formam, et tenorem decreti statuti loquentis de Syndicatu Capitaneorum, et ceterorum Officialium, in quo Syndicatu rationem reddere teneantur de omnibus, et singulis per eos gestis, et factis, durante eorum officio, tam in eo exercendo, quam de alijs extra officium, cum idoneis fidejussoribus, et a sententia dicti Syndicatus non appellabunt, nec reclamabunt. Et Domini Capitanei non possint eis concedere litteras testimoniales eorum bonæ administrationis, nisi prius per eos obtenta sententia absolutoria a Syndicatoribus, sub pœna scutorum decem pro quolibet dictorum Capitaneorum, et dictas litteras conscribente, vel dictante, etc.

Recipiet autem dictus Commissarius per manus nostri Camerarij pro quolibet mense salarium, et mercedem taxatam in notula capitulorum eidem transmissa, seu transmittenda, nec non omnia alia, et singula emolumenta in dictis capitulis contenta, secundum illorum formam, et tenorem.

Sed quia nil certius morte, et nil incertius ejus hora, si forte, quod Deus avertat, illum mori contigerit in hac nostra Terra, non completo tempore conductionis suæ, tali casu de salario sibi in notula capitulorum promisso, ei, vel heredibus suis, nil ultra debeatur, nisi pro rata temporis, quo operas suas effectualiter illum præstitisse repertum fuerit, etc.

Debeat etiam dictus Dominus Commissarius, qui nostræ Terræ Commissariatus officium susceperit, seque ad illud exercendum in hac nostra Terra contulerit, officio suscepto, statim capitula nostra eidem transmissa coram Dominis Capitaneis exhibere subscripta manu sua propria, eaque penes eos relinquere, ac ulterius in libris capitulorum ea registrari omnino curare, et facere retenta sibi copia si eam habere voluerit, etc.

Pro mercede vero Cancellarij nostræ Communitatis scriptoris, et registratoris litterarum patentium, et capitulorum, solvere debeat scutum unum aureum, tam in ingressu ejus officij, quam pro qualibet confirmatione, sive pro quolibet semestri etc.

Et in die festivitatis S. Marini Protectoris nostri solvere debeat paulum unum argenteum, in manibus Massariorum dicti Sancti

pro eleemosyna, et oblatione solita facienda in dicta die, quae tertia est mensis Septembris.

Haec autem dictus Dominus Commissarius faciet, et fieri faciet, nec non cetera alia, ad quae tum de jure, tum ex forma statutorum, et ordinamentorum Terrae nostrae Sancti Marini, ac ejus capitulorum tenetur, et debet sub pœnis arbitrio Syndicatorum, et nostri generalis Consilij statuendis, etc.

De electione, officio, ac mercede Medici.
Rubrica. XXXII.

Ad tuendam, et conservandam sanitatem nostrorum subditorum, statuimus, et ordinamus, quod de cetero Domini Capitanei, qui pro tempore fuerint, saltem per tres menses ante finem officij tum præsentis Medici, tum etiam ejus successorum in eodem, debeant convocare, et congregare magnum, et generale Consilium, et in eo proponere in nostrum Medicum aliquem Artium, et Medicinæ Doctorem forensem, quem ætas annorum saltem trigintaquinque, Doctoratus gradus per decennium, probitas vitae, et longa rerum experientia saltem in duabus alijs conductis publicis alicujus Civitatis, vel oppidi reddiderit clarum, et insignem, ac dignum, cui tale munus, et exercitium in Terra quoque nostra tuto committi, et demandari possit. Cujus facta propositione per Dominos Capitaneos, ceteris quoque Consiliarijs liceat proponere alios hujusmodi officium ambientes, cum quibus possit etiam concurrere Medicus antecedentis anni, si confirmari desideraverit, quibus omnibus positis ad suffragia, ille, qui ceteros maiori numero balluctarum albarum superabit, sit, et censeatur electus noster Medicus per annum immediate sequentem, cujus officium sit, postquam receperit litteras patentes suae electionis sibi cum capitulis ejus salarium, mercedem, ac onera continentibus transmittendas per Dominos Capitaneos, et in Terram nostram se suis sumptibus contulerit, et illud susceperit, praevio ejus juramento in manibus Dominorum Capitaneorum de eo bene, ac fideliter administrando, omnes, et singulos, infirmos, aegrotantes, ulceratos, ac quolibet alio morbo laborantes, in libro nostro descriptos, et habitantes in hac nostra terra, et ejus curia, districtu, et Castris nostris Serravallis, Faitani, et Montis giardini, et eorum, et cujuslibet eorum curijs, ea qua decet vigilantia, cura, ac diligentia visitare, et ad eorum proprias domos, et abitationes, si in Terra nostra, seu Suburbijs Plagiarum, et Mercatalis commorentur, et degant toties, quoties fuerit requisitus, et necessitas postulabit saltem bis in die juxta ritum, et morem hactenus observatum, et si in Castris praedictis, vel alibi in Comitatu, et districtu dictae Terrae, et

Castrorum, bis, vel ter durante eorum infirmitate, et omnino continue ad petitionem quorumcunque languentium signa videre, medelas instruere, et ordinare, et reliqua facere quae ad officium diligentis Medici pertinere dignoscentur nulla alia accepta mercede. Poterit etiam in hac nostra Terra, et Territorio mederi forensibus non habitantibus, et in nostro libro non descriptis, eisdemque parare medelas accepta sua competenti mercede quae in ejus salario minime computetur. Et ut praedicta facilius exequi possit, sit obligatus continuo tenere suis sumptibus, et expensis unum equum, vel mulam pro usu suo, et accessu in Comitatu hujus nostrae Terrae, ad medendum, et curandum tam civibus quam comitativis. Nec possit aliquis forensis, qui artem Physicalem profiteatur, accedere in hanc nostram Terram, et ejus Territorium pro ea exercenda, sine sua expressa licentia, et voluntate. Durante vero tempore suae conductionis, et electionis, non possit discedere a districtu dictae nostrae Terrae sine expressa licentia Dominorum Capitaneorum, et si ejus absentia ultra tres dies foret duratura sine licentia Consilij generalis, a quo ultra dictos tres dies non possit illam obtinere, nisi durante tempore dictae ejus absentiae relinquat in Terra nostra alium Medicum expertum, et approbatum, ac idoneum arbitrio Dominorum Capitaneorum. Et si secus fecerit amittat salarium unius mensis pro qualibet vice, qua contrafecerit. Debeat etiam dictus Medicus in Festivitatibus, et processionibus nostris, ac in primo ingressu Capitaneorum in officio adesse una cum nostro Magistratu, et semper post Dominos Capitaneos, et Commissarium locum habere. Teneatur postea dare, et solvere de suo proprio pro oblatione in Festo Divi Marini Protectoris nostri paulum unum argenteum Massarijs dicti Sancti. Item Cancellario Dominorum Capitaneorum pro mercede, et registro electionis, et confirmationis, quas ubi advenerit, et habuerit omnino per dictum Cancellarium in libris capitulorum, una cum ejus capitulis registrari curabit, scutum unum auri pro prima vice tantum persolvendum. Habeat autem Medicus a Communitate nostra pro ejus salario pro quolibet anno scutos centum quinquaginta mutilos ad rationem grossorum viginti pro singulo scuto sibi persolvendos de bimestre in bimestre per generalem exactorem nostrum, et domum habilem pro sua, et ejus familiae habitatione, sumptibus nostrae Communitatis, pro cujus pensione non teneatur ipsa Communitas solvere plusquam scutos quinque similes, ac etiam habebit salmas octuaginta lignorum, et octuaginta fasces palearum ponderis librarum centum pro singulo fasce sibi per deputatos danda, et consignanda ad domum, et habitationem ipsius Medici, videlicet paleas per totum mensem Septembris, et ligna per totum mensem Octobris singulo anno, quae si praedicti deputati

non servaverint elapso dicto termino possint cogi, et compelli ad sibi dandum, et solvendum solidos quinque denariorum pro qualibet salma lignorum, et pro rata cuilibet ipsorum tangente de paleis, ad rationem solidorum septem pro quolibet centenario palearum. Nec non omnia, et cetera alia in notula capitulorum sibi transmittenda contenta. Sed quia nil certius morte, et nil incertius ejus hora, si forte, quod Deus avertat, illum mori contigerit in hac nostra Terra non completo tempore conductionis suae, tali casu de salario sibi, ut supra, promisso, ei, vel haeredibus suis nil ultra debeatur, nisi pro rata temporis, quo operas suas effectualiter illum praestitisse repertum fuerit. Nolumus autem quod ipse Medicus teneatur accedere ad habitationem alicujus infirmi, nisi prius viso ejus signo, ac urina, quia si esset timor morbi epidimialis, eum obligamus ad statim denunciandum, et referendum Dominis Capitaneis, et Superstitibus Sanitatis hujus nostrae Terrae, et pariter nolumus, quod ipse sit obligatus ad ea, quae ad Chirurgorum disciplinam pertinent. Reservantes tamen semper subditis nostris potestatem, et facultatem accedendi ad alios Medicos ad eorum libitum, sine tamen praejudicio ejusdem Medici salarij. Et quoniam parum prodesset habere Medicum in terra nostra, nisi etiam adessent Pharmacopolae, qui medelas, siruppos, unguenta, et cetera alia ad salutem hominum necessaria iuxta ejusdem Medici ordinationem conficerent, volumus, et mandamus, quod ipse Medicus sit obligatus in primo mense sui adventus, nec non singulis annis, saltem semel in principio aestatis, vel quando ei magis placuerit, videre in Apothecis Pharmacopolarum hujus nostrae Terrae omnia genera medicinarum, sirupporum, oleorum, aquarum, unguentorum, nec non cetera alia ad salutem humanam, et ad illud exercitium necessaria, quae si invenerit deficere, debeat intimare dictis Pharmacopolis, quod illa debeant providere. Si vero in ejusdem Medici conscientia, quam in hoc oneramus, ea invenerit, sed non bonitatis, et perfectionis requisitae, D. Medicus possit ea proijcere, comburere, et adnichilare referendo etiam semper Dominis Capitaneis omnia, et singula praedicta, ut ipsi Domini Capitanei possint, ac debeant, si sic eis videbitur expedire, praedictas Apothecas claudere, et ipsos Pharmacopolas secundum traditiones iuris civilis, et Pontificij rigorose punire, et castigare. Et si ipse Medicus praedicta facere neglexerit, aut recusaverit, possit, ac debeat vocari alius Medicus expertus impensis illius ad praedicta perficienda ultra alias poenas arbitrio Consilij generalis eidem Medico infligendas, etc.

STATUTORUM

De electione, officio, ac salario Publici Praeceptoris.
Rubrica. XXXIII.

Quia consuevit semper Respublica nostra unum virum doctrina, et moribus praeditum in praeceptorem, et iuventutis nostrae moderatorem singulo anno deputare, cujus opere, ac eruditione nostri adolescentes humanitatis artibus, et bonis moribus imbuti, cum ad maturitatem perveniunt, tempore sapientiores effecti, valeant Rempublicam nostram accuratius regere, et gubernare, idcirco maiorum, gentiliumque nostrorum vestigia in hoc sequi volentes, statuimus, et ordinamus, quod de cetero Domini Capitanei saltem per tres menses ante finem officij, tum praesentis publici ludi litterarij praeceptoris, tum etiam ejus successorum in eodem munere, in magno generali Consilio per eos congregando debeant proponere in supradictae nostrae iuventutis magistrum, ac moderatorem aliquem humanarum, et bonarum litterarum professorem forensem, quem probitas vitae, nec non scientia, doctrina, ac singularis, et longa docendi solertia, et experientia saltem in duabus alijs conductis publicis alicujus Civitatis, vel Oppidi reddiderit clarum, ac dignum, cui tale munus, ac exercitium in patria quoque nostra tuto committi ac demandari possit. Cujus facta propositione per Dominos Capitaneos ceteris quoque Consiliarijs liceat proponere alios hujusmodi conductam, et officium ambientes, cum quibus possit etiam concurrere magister antecedentis anni, si confirmari affectaverit. Quibus omnibus positis ad suffragia, ille, qui ceteros maiori numero balluctarum albarum superabit, sit, et censeatur electus magister, praeceptor, ac moderator nostrae juventutis per annum immediate sequentem. Cujus officium sit, postquam receperit litteras patentes suae electionis, sibi cum notula capitulorum ejus mercedem, ac salarium, et onera continente transmittendas per Dominos Capitaneos, et se in terram nostram suis sumptibus contulerit, et ad exercitium sui muneris, praevio ejus juramento in manibus Dominorum Capitaneorum de illud bene, ac fideliter exercendo admissus fuerit, recipere, docere, et instruere toto tempore ejus conductionis omnes, et singulos pueros, adolescentes, et habitantes usque in diem suae conductionis in Terra nostra, vel in Territorio, ac districtu cum infrascripta mercede, ac salario. Et in ingressu Magistratus Capitaneorum nostrorum pro tempore eligendorum, nec non in die Festo tam Divi Marini Protectoris nostri, quam Divi Nicolai, et alijs temporibus, dum requisitus fuerit, orationem, seu sermonem latina lingua habere, seu per aliquem ex suis scholasticis

haberi facere. Nec dictus magister possit hanc nostram conductam relinquere, nisi praevia ejus intimatione per tres menses ante finem anni, neque discedere ab hac nostra Terra, sine licentia generalis Consilij, quando ejus absentia ultra tres dies foret duratura, nam per dictum tempus, vel pro minori spacio poterunt illam Domini Capitanei concedere. Teneatur autem singulis diebus scholam aperire, omnes discipulos, qui sub ejus disciplina militabunt, grammaticam, poesiam, seu humanitatis artem publice docere, et bonis moribus instruere, lectiones legere, epistolas, et themata, ac ostensiones eis dare, in examinibus, et doctrina Christiana eos exercere, aliaque facere, et fieri curare in scholis necessaria, et secundum scholasticum ordinem, et qualitatem, aetatem, ac capacitatem scholariorum singulis diebus, et horis debitis, ut decet bonum ludi litterarij magistrum, praeterquam in diebus Dominicis, et Festivitatum, quae sunt de praecepto S. Matris Ecclesiae.

Debeat etiam dictus magister in Festivitatibus, et processionibus nostris, ac in primo ingressu Capitaneorum in officio adesse una cum nostro Magistratu, et semper post Doctores locum habere, nisi ipse quoque foret Doctor, quo casu ejus locus remaneat in dispositione iuris communis.

Sit etiam obligatus de suo proprio dare, et solvere pro oblatione in festo Divi Marini Protectoris nostri paulum unum argenteum Massarijs dicti Sancti. Item Cancellario Dominorum Capitaneorum pro mercede, et registro electionis, et confirmationis, quas ubi advenerit, et habuerit omnino per dictum Cancellarium in libris capitulorum una cum ejus capitulis registrari curabit, scutum unum auri pro prima vice, et toto tempore electionis, seu confirmationis dicti magistri.

Habeat autem pro ejus salario, et mercede pro singulo anno scuta septuaginta monetae currentis, et ut dicitur mutila in fine cujuslibet bimestris pro rata decursi temporis a nostra Communitate, et a scholaribus, et eorum patribus, juxta compositionem, seu taxam ab hominibus desuper electis faciendam, et plus, et minus arbitrio generalis Consilij, secundum temporum qualitatem. Sed quia nil certius morte, et nil incertius ejus hora, si forte, quod Deus avertat, illum mori contigerit in hac nostra Terra, non completo tempore conductionis suae, tali casu de salario, sibi, ut supra, promisso ei, vel heredibus suis nil ultra debeatur nisi pro rata temporis, quo operas suas effectualiter illum praestitisse repertum fuerit. Item habebit domum congruam pro habitatione sua, et pro schola tenenda absque aliqua ejus impensa.

Et ultra praedicta habebit pro dicto tempore salmas triginta lignorum sibi dandas a dictis scholaribus ad id taxatis a Capitaneis, et alijs hominibus electis. Licebitque dicto magistro a scholaribus forensibus, et habitatori-

bus extra territorium dictae Terrae accipere salarium ad ejus libitum: expresse prohibentes, quod nullus alius hujus professionis possit in Terra nostra, seu eius Territorio publice, vel private scholas exercere, et aperire in praejudicium ejusdem magistri salarij, etc.

De modo, et forma eligendi, confirmandi, et licentiandi officiales, ministros, vel alios habentes stipendia a Communitate nostra.
Rubrica XXXIV.

Ad tollendas omnes ambiguitates, et difficultates, quae circa electiones, confirmationes, et licentias officialium, ministrorum, ac aliorum habentium stipendia a Communitate nostra ullo unquam tempore oriri possent, hoc edictali, et in perpetuum valituro decreto sancimus, et ordinamus quod adveniente tempore eligendi, confirmandi, vel licentiandi aliquem Commissarium, Medicum, Publicum Praeceptorem, Castellanum, Plazarium, nec non quemcumque alium officialem, ministrum, vel recipientem stipendia a Communitate nostra, quocumque nomine nuncupatum, et cujuscumque generis existentem, Domini Capitanei vinculo eorum juramenti teneantur, et sint obligati proponere in magno, et generali Consilio per eos convocando, et congregando, an expediat pro bono, et pacifico statu Reipublicae nostrae, et an sit de mente omnium Dominorum Consiliariorum eligere, et detinere, vel confirmare, seu licentiare dictum Commissarium, Medicum, Magistrum, Castellanum, Plazarium, seu alium officialem, ministrum vel stipendiatum. Et quod a maiori numero dictorum Dominorum Consiliariorum super eo erit determinatum per balluctas, et non aliter, nec alio modo, debeat per ipsos Dominos Capitaneos statim executioni demandari. Declarantes in hujusmodi electionibus, vel cónfirmationibus, sive licentijs non requiri duas partes de tribus, sed tantummodo maiorem partem dictarum balluctarum sufficere ad electionem, vel confirmationem, sive licentiam reportandam, ita, ut si balluctae albae fuerint in maiori numero, quam nigrae censeatur expedire Reipublicae nostrae dictum Commissarium, Medicum, Magistrum, Castellanum, Plazarium, seu alium officialem, ministrum, vel stipendiatum, quem Domini Capitanei in specie proposuerant, eligere, seu confirmare, vel licentiare, et consequenter ille sit, et intelligatur esse electus, sive confirmatus, vel licentiatus. Si vero balluctae nigrae erunt in maiori numero, quam albae, intelligatur esse resolutum contrarium. Nec praedicta ullo unquam tempore possint aut debeant viva voce tractari, et deffiniri, sed tantum per balluctas, et modo, et

forma praedictis, et si secus factum fuerit, omnia inde secuta perpetuo sint nulla, nullius roboris, et momenti absque aliqua hominis declaratione, et Capitanei, qui ea proposuerint, libras decem denariorum pro quolibet, et qualibet vice, Consiliarij vero, qui eorum suffragia aliter quam dictum fuit super praedictis praestiterint, libras quinque similes pro quolibet eorum, et qualibet vice, de facto, et absque ulla remissione solvere Camerario nostro cogantur. Et praemissa omnia, et singula locum non habeant in electionibus, vel confirmationibus, sive licentijs illorum officialium ministrorum, vel stipendiatorum, circa quas alia particularis, et diversa, ac specialis forma traditur in alijs decretis nostrorum statutorum, quibus per praesens non intendimus fore, nec esse derogatum.

De disdicta, seu intimatione temporis non apponenda in capitulis alicujus officialis, vel stipendiati forensis. Rubrica. XXXV.

Maiorum nostrorum decretis inhaerendo, statuimus, et ordinamus, quod de cetero cuiquam forensi electo, sive conducto in nostram Terram, sive in Medicum, sive in ludi litterarij Magistrum, sive ad aliud munus, et artem exercendam, nullatenus possit, aut debeat concedi capitulum aliquod continens intimationem, aut disdictam alicuius spatij temporis eidem faciendam pro parte nostrae Communitatis, etiam si ipsa nollet amplius ejusdem opera uti, sed omnes, qui pro tempore a Communitate nostra electi, sive conducti fuerint, in fine eorum officij, si desideraverint confirmari, sint obligati petere, et obtinere confirmationes a nostro Consilio magno, et generali, alias elapso dicto tempore, si tales modo, et forma praedictis confirmati non fuerint, censeantur esse liberi, et ab omni officio, et munere dimissi. Quod perpetuo inviolabiliter observari mandamus, non obstantibus quibuscumque in contrarium faciendis, etc.

De Syndicis Communitatis. Rubrica. XXXVI.

Statuimus, et ordinamus quod adveniente tempore novae electionis Syndicorum Communitatis nostrae, vel alicuius eorum in locum demortuorum, talis electio debeat fieri in Consilio nostro generali, per suffragia, et balluctas obtinendas a maiori parte Consiliariorum, ad propositionem Dominorum Capitaneorum, et Consiliariorum, qui de dictis omnibus nominatis in dictos Syndicos

nequeant eligere, nisi duos oriundos de Terra nostra, et Consiliarios fideles, et benevolos libertati nostrae aptos, ac idoneos ad dictum officium exercendum. Qui sic electi, praestito iuramento in manibus Dominorum Capitaneorum de eorum officio bene ac fideliter exercendo, teneantur impensis Communitatis coram quocumque Judice Ecclesiastico, vel saeculari ubique locorum pro recuperatione, conservatione, seu acquisitione quorumcumque bonorum, iurium, et actionum ipsius Communitatis, et Reipublicae nostrae comparere, agere, experiri, active, et passive, omnesque lites tam motas, quam movendas eidem nostrae Communitati a quacumque persona, universitate, vel collegio in se suscipere, et pro eorum posse defendere, tam per se ipsos quam per Procuratores ab eisdem substituendos, omniaque alia dicere, et facere, tendentia ad commodum, et utile dictae nostrae Communitatis, et quae pertinebunt ad dictum eorum officium, quod nisi ipsorum morte, aut susceptione alicujus ordinis sacri, ut puta Subdiaconatus, vel ab inde supra, aut privatione ob aliquod delictum finiri non possit. Habeant etiam dicti Syndici, una cum Dominis Capitaneis, et alio Syndico eodem modo, et forma a praedictis eligendo, omnimodam auctoritatem, facultatem, et potestatem videndi fraudes commissas, et in futurum committendas a quibusvis personis circa bona emphyteotica existentia in Terra, et Territorio Sancti Marini, et praesertim in mercatali, et Territorio nostrae villae Florentini, quorum directum dominium spectat ad nostram Communitatem, et quas invenerint componendi, cum facultate etiam investiendi nomine Communitatis de praedictis bonis devolutis omnes, et singulos praetendentes, et petentes investiri, quorum bona invenerint esse devoluta, vel propter illorum alienationem irrequisita Communitate nostra, et absque ejus licentia, vel propter debitum canonem eidem Communitati non solutum, vel propter lineam finitam, et investituram non concessam novis possessoribus, seu quavis alia causa, describendo eos debitores dictae Communitatis quinque pro centenario ad librum particularis Depositarij a generali Consilio ad praedicta deputati, et ejus successorum in officio depositariae pecuniarum quae pro tempore percipientur tam ex devolutionibus, quam ex liberationibus dictorum bonorum. Nam praedictis Syndicis una cum Dominis Capitaneis eadem bona emphyteotica etiam liberandi nomine Communitatis eorum possessoribus, vel alijs volentibus pro pretio eis bene viso in utilitatem ipsius Communitatis, concedimus omnimodam facultatem, et potestatem. Libri autem in quibus dicta bona emphyteotica erunt adnotata perpetuo remaneant sub cura Notarij ad praedicta per Consilium iam deputati, et deinde ejus successorum in eodem officio, semper eligendorum a majori parte Consiliariorum per suffragia, et balluctas ad pro-

positionem Dominorum Capitaneorum, et Consiliariorum, cum honoribus, ac emolumentis solitis, et consuetis. De praedictis vero pecunijs canonum, devolutionum, novarum investiturarum, sive liberationum dictorum bonorum, nolumus aliquam minimam quantitatem per ipsum Depositarium expendi, etiam de mandato Dominorum Capitaneorum pro tempore existentium nisi in aedificio Palatij Communitatis noviter construendi, et illo absoluto, in alijs aedificijs publicis, et hoc semper de commissione, et mandato generalis Consilij. Et si secus factum fuerit, tam ipsi Domini Capitanei quam ipsi Syndici, ac eorum Depositarius, et notarius, qui praedicta omnia, et singula ad unguem non observaverint, seu observari non curaverint, in solidum, de facto, de eorum proprio solvere teneantur ipsi Communitati, nec non scuta duo pro poena qualibet vice absque ulla excusatione.

De electione, officio, et privilegijs Capitanei Officialium, et militum nostrae militiae. *Rubrica.* XXXVII.

Adveniente tempore novae electionis Capitanei nostrae militiae, statuimus, et ordinamus, quod domini Capitanei Terrae nostrae, et post eos ceteri Consiliarij volentes, possint, ac debeant proponere in generali Consilio nostro, unum vel plures viros de Terra Sancti Marini oriundos, in rebus militaribus praticos, et expertos in Ducem, et Capitaneum militiae Reipublicae, et custodiae Terrae nostrae. Quibus omnibus positis ad suffragia, ille qui maiorem numerum balluctarum albarum obtinuerit, sit, et censeatur electus, et deputatus Dux, et Capitaneus nostrae militiae, et custodiae, cujus officium ad beneplacitum ejusdem Consilij duraturum statim gratis receptis litteris patentibus suae electionis, praevio ejus juramento in manibus Dominorum Capitaneorum praestando, de eo bene, ac fideliter exercendo, sit imperandi omnibus et singulis dictis nostris militibus, et pro militibus nostrae militiae descriptis in libris eidem Capitaneo consignandis, et per eum diligenter conservandis, ac in fine ejus officij in Archivio consignandis, et similiter militibus custodiae Terrae nostrae.

Nec non iubendi, et praecipiendi eisdem omnia, et quaecunque sibi videbuntur necessaria, utilia, ac opportuna pro custodia Terrae nostrae, et pro bono, pacifico, et honorifico statu Reipublicae nostrae, cum facultate etiam mulctandi, puniendi, et castigandi, seu mulctari, puniri, et castigari faciendi prædictos omnes, et singulos milites recusantes obedire eius mandatis, et infrascriptis, seu alijs statutis militaribus, tam per ipsum factis, quam

faciendis, et a nobis approbatis, seu approbandis, sub poenis in dictis statutis contentis, vel in defectum illorum arbitrio Dominorum Capitaneorum, et ipsius Ducis militiae, impositis, seu imponendis. Quas poenas per executores etiam nostros exigi facere possit. Et ut dictus Capitaneus, cum maiori fidelitate, et alacritate inserviat praefatae Reipublicae nostrae eidem concedimus omnia, et singula privilegia, indulta, prerogativas, honores, et iurisdictionem ad praedictum eius officium spectantes, cum facultate etiam eligendi, et deponendi Locum tenentem, signiferum, sergentem, et alios Officiales, et milites eiusdem militiae secundum eorum merita, vel demerita. Mandantes omnibus, et singulis militibus, nec non quibuscunque Officialibus, et Ministris praefatae militiae, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, quod debeant parere praedicto eorum Duci, et Capitaneo. Qui pariter una cum eisdem Officialibus, et militibus antedictae militiae semper teneantur obedire dictis Capitaneis Terrae nostrae Sancti Marini. Quod ut facilius, et libentius faciant omnibus, et singulis eorum respective concedimus, et indulgemus capitula continentia munera, et privilegia infrascripta videlicet, etc.

Volentes conservare, et etiam pro nostris viribus augere nostram honoratam, et bene instructam militiam, ut eam non modo deferamus ad meliorem rei bellicae disciplinam, militaribusque intentam exercitijs, sed etiam, ut illam diversis beneficijs, et commodis afficiamus, nec non maioribus privilegijs descriptorum in ea summos labores, et incommoda, quae in ea sustinent, compensemus, infrascriptas leges, et decreta pro maiori honore, ac utilitate nostrae militiae, ac eius militum sancimus, et ordinamus, eaque ab omnibus inviolabiliter observari hoc edictali, et in perpetuum valituro statuto mandamus, etc.

In primis igitur descriptionem, et electionem tum militum, tum Officialium ipsius nostrae militiae remittentes arbitrio, ac voluntati ipsius Ducis, seu Capitanei militiae, volumus, et mandamus per ipsum eligi debere homines, qui huiusmodi exercitio armorum sint apti, et idonei, ac aetatis ab anno sexto decimo usque ad quinquagesimum quintum, absque aliquo respectu cuiuscunque personae, et gradus. Eximentes tamen ab huiusmodi electionibus Doctores, et scholares, nec non Officiales, et ministros ipsius Communitatis, quos durante eorum officio volumus esse immunes, et exemptos a dictis oneribus militaribus. De qualibet autem familia, et domo, in qua sint duo homines, possit, et debeat describere, et eligere unum, et de illis, in quibus erunt tres, vel quattuor, eligere duos, et si in aliqua domo erunt plures quattuor, debeat eligere, et describere medietatem illorum. Et eo casu si erunt impares numero, debeat semper eligere minorem numerum: declarantes quod

numerum non faciant minores annorum sexdecim, et seniores annorum quinquaginta quinque, etc.

Debeat etiam Capitaneus prædictæ militiae eligere, et deputare unum de dictis officialibus, sive militibus in Depositarium eiusdem militiae, qui sit obligatus recipere omnes introitus ad ipsam militiam spectantes, et de ipsis tenere bonum computum, nec non facere omnes expensas sibi imponendas a praedicto Capitaneo militiae, et quandocunque eidem Capitaneo placuerit, reddere postea rationem dictorum introituum, et expensarum, ac totius suae administrationis, sub pœna librarum decem pro qualibet vice, præter restitutionem reliquorum, ad quam incontinenti faciendam sit semper obligatus. Et quoniam, ut bene ordinatum, ac perfecte actum aliquid dici possit, debet semper timor Domini, et debita reverentia erga eum præcedere, idcirco monemus, et hortamur omnes de dicta militia, quod velint, et debeant esse boni, et Catholici Christiani, nec transgredi, aut ommittere quoquo modo praecepta Christianae Religionis, et praesertim nemo de praedicta militia sub aliquo praetextu, aut quaesito colore audeat blasphemare, seu maledicere Deo, vel Sanctis, aut facere alia illicita, alias absque ulla remissione punientur poenis in statutis contentis.

Capitaneus dictae nostrae militiae vigore praesentis statuti teneatur, et sit obligatus pacis tempore lustrare saltem semel quolibet bimestri omnes milites praedictae militiae nostrae. Milites autem in praedicta militia descripti semper ad lustrationes, et ad quaelibet alia munera debeant comparere vestiti, ac induti melius, quam poterunt, et saltem habentes caligas de panno, sive rascia, toracem lineum, collectum de coramine, et pileum de feltro sub pœna pauli unius Papalis pro prima vice, duorum pro secunda vice, et trium pro tertia vice. Et quotiescunque erunt convocati ad dictas lustrationes cum aliquo signaculo ordinario, teneantur comparere cum armis, et indumentis, quibus erunt descripti ad libros dictae Militiae sub pœna unius pauli similis pro qualibet vice, etc.

Quando vero vocabuntur pro aliquo repentino negotio cum aliquo signaculo eis dato debeant comparere quam citius vestiti, ut supra, et armati eorum armis, cum decenti copia pulveris, plumbi, seu pilarum de plumbo, et funis, sub pœna Scutorum quattuor, et alijs arbitrio Consilij generalis eisdem imponendis in casu primae contraventionis, quas pœnas duplicatas postea incurrant in casu secundae contraventionis, et deinde maiores arbitrio Dominorum Capitaneorum in casu tertiae contraventionis. Nec possint pignorare, vel vendere sub quovis praetextu, occasione, aut necessitate praedicta eorum arma, et vestimenta, nec ea transferre, aut relinquere unquam extra

Territorium nostrum, sed ea debeant semper habere in domibus eorum habitationis sub pœna scutorum quattuor, et duorum ictuum funis pro quolibet, et qualibet vice contraventionis, et nihilominus sint obligati statim, et incontinenti ea emere, et redimere sub pœna dupli valoris dictorum armorum, et vestimentorum pignoratorum, vel venditorum. Et descripti in dicta militia sint obligati non solum ad lustrationes, et ad alia munera comparere cum eisdem armis, quibus erunt annotati in libris dictae militiae, ut praemissum fuit, sed etiam cum eisdem armis, bene tersis, et optime aptatis, prout decet bonos milites. Declarantes tamen, quod sint excusati, quando non venerint ad dictas lustrationes detenti aliquo iusto impedimento probando saltem per unicum testem iuratum, et fide dignum, quando maior numerus testium non adesset. Volumus autem, et expresse iubemus, quod omnes de dicta militia ad lustrationes teneantur comparere cum armis proprijs, et non commodatis ab aliquo sub pœna tam ipsi commodanti, quam recipienti in commodum aliqua arma diebus lustrationum unius scuti pro quolibet, et qualibet vice, ac quolibet genere armorum. Nec descripti in dicta militia possint unquam discedere de lustrationibus, et alijs muneribus, et ea deserere absque dicti sui Capitanei licentia, sub pœna paulorum duorum pro prima vice, trium pro secunda vice, et dimidij scuti pro tertia vice. Si vero aliquis eorum, dum erit, vel sub vexillo, vel alibi in lustrationibus, vel in loco custodiae, vel in alio munere ausu temerario evaginaret arma, vel ad ea manum apposuerit ad offensam alicuius, solvat pro pœna duplum illius, quod in tali casu vigore statutorum solvere teneretur alter, quod de dicta militia non foret. Quam pœnam duplicatam etiam incurrat quilibet miles, qui apponeret manum ad arma contra ejus caporalem, vel alium Officialem dictae militiae eum reprehendentem, vel monentem. Non possint etiam in eadem militia descripti tempore imminentis belli, vel ejus suspicionis discedere, et se absentare a Terra, et Territorio nostro pro maiori spacio temporis quam octo dierum, absque expressa licentia Dominorum Capitaneorum, et Capitanei militiae sub pœna librarum decem pro quolibet, et qualibet vice.

Nec etiam possint milites in dicta militia descripti accipere stipendium, vel aliquam pecuniarum quantitatem ab aliquo causa eundi ad bellum, vel eidem aut alteri inserviendi, sive quavis alia occasione, absque expressa licentia Consilij generalis sub pœna duplo maiori imposita a nostris statutis huic capiti contravenientibus, qui non essent de militia. Cancellarius autem dictae militiae erit obligatus diligenter describere, et adnotare omnes condemnatos in libro separato, et particulari, et deinde ex illis notulas eorum extrahere, ac dare in manibus Dominorum Capitaneorum, sive aliorum Iudicum

Terræ nostræ, qui teneantur, ac debeant statim eas exequi, ac exigi facere ab eorum executoribus, et pecunias exactas illarum vigore de huiusmodi pœnis militaribus consignare in manibus Depositarij eiusdem militiæ. In cuius militiæ, et legionis beneficium prædictas omnes, et singulas pœnas persolvendas a militibus eisdem pro eorum delictis militaribus, volumus, et mandamus erogari, ac expendi, et distribui debere, prout eiusdem militiæ, ac legionis Capitaneo pro maiori decore, et utilitate ipsius legionis, et militiae magis expedire videbitur.

Et quanquam vera, et præcipua præmia laborum militum sit gloria, et fama eorum fidelitatis, qua nostros milites erga nostram Rempublicam præditos semper cognovimus, nihilominus quia onestum est quod ipsi pro præfatis, et alijs eorum laboribus aliqua particularia privilegia consequantur, ut cum maiori animi alacritate, ac promptitudine incumbant ad ea quæ eorum muneris sunt, idcirco militibus in nostra militia descriptis concedimus, et erogamus privilegia infrascripta, videlicet,

Quod Capitaneus, Locumtenens, Signifer, Sergens, et Cancellarius dictæ militiæ possint ubilibet de die, et de nocte deferre arma cuiuscunque generis, exceptis archibusijs minoris longitudinis trium palmorum prohibitis iuxta formam, et tenorem nostrorum decretorum. Ceteri vero milites in eadem militia descripti possint deferre infrascripta arma, et modo, et forma sequenti, videlicet possint deferre enses, pugiones, loricas, cum eius manicis, toraces, et alia arma ferrea defensiva tam de die, quam de nocte ubilibet. Archibusia vero cuiuscunque generis, et longitudinis saltem trium palmorum, nec non sarissas, alabardas, veros, et alia similia arma hastata possint deferre tam de die, quam de nocte in itinere, et venatione, et similiter quando redibunt de loco ad locum. Sed intus Terram nostram Sancti Marini, et eius suburbia, videlicet Mercatalis, et plagiarum, nec non intus castra Serravallis, Faitani, et Montis giardini non possint ea deferre, nisi in casibus prædictis, et in diebus Festivitatis Sancti Marini nostri Protectoris, lustrationum, et mercatorum, ac nundinarum, et quando a Dominis Capitaneis, seu ab eorum Duce, et Capitaneo forent ad particularem custodiam dictorum locorum deputati. Non possint autem dicta arma habere, aut tenere in Ecclesijs, aut in domibus ubi ducuntur choreæ, sed ubi ad dicta loca pervenerint statim debeant ea deponere apud muros exteriores dictarum Ecclesiarum, et in introitu dictarum domorum, ubi ducuntur tripudia, et choreæ debeant ea deponere in manibus dominorum domus, qui sint obligati ea conservare in aliquo loco, seu thalamo separato a loco chorearum, et si dictus locus, vel thalamus separatus, et vicinus fortasse non adesset, dicti domini

domus chorearum teneantur providere aliquo alio modo eorum arbitrio, ne domini dictorum archibusiorum, et armorum alterius generis possint ea capere, vel habere, nisi quando de dictis locis discedere voluerint. Et casu, quo dictæ choreæ ducerentur in aliquo loco campestri debeant prædicti milites eadem arma deponere in manibus illius, qui dictas choreas congregaverit, et fecerit. Qui pariter sit obligatus eadem arma conservare in domo magis propinqua dicto loco chorearum, quæ domus propinqua si non aderit, tunc domini archibusiorum, et prædictorum armorum teneantur ea deponere alibi procul a dictis choreis saltem per centum passus. Sub pœnis tam ipsis militibus, quam dominis domorum, si praedicta omnia, et singula non observaverint, contentis in alijs decretis de huiusmodi materia loquentibus. Milites autem prædicti, nec non quicunque alij caveant, ne deferant, aut habeant, sive teneant, vel utantur in aliquo loco, vel tempore archibusijs parvis minoris longitudinis trium palmorum semper prohibitis, alias puniantur pœnis in eisdem statutis de tali materia loquentibus contentis.

Statuimus pariter, et ordinamus, quod in eadem nostra militia descripti nequeant condemnari ab aliquo Iudice in pœna fustigationis, infulæ,, aut stigmatum, sive in aliam pœnam ignominiosam, et opprobriosam.

Sed casu, quo pœnis prædictis venirent condemnandi, et puniendi, debeant præfatæ pœnæ commutari semper in alias æquivalentes arbitrio Consilij generalis. Et si vigore statutorum, vel propter qualitatem delicti, aut aliquo alio casu, aliqua de prædictis pœnis in persona alicuius eorum necessario foret exequenda, ille talis intelligatur ex nunc, prout ex tunc a prædicta militia dimissus. Si vero unus de descriptis in eadem militia propter aliquod delictum veniret condemnandus in pœnam pecuniariam, et non posset consequi pacem ab offensis, seu ab offenso in tempore præscripto a statutis ad abolitionem obtinendam per solutionem capitum solidorum, attamen si dictam pacem consecutus postea fuerit, et eius instrumentum factum produxerit in iudicio saltem intra decimum quintum diem a die notificationis, et intimationis sibi factæ de dicta condemnatione, adhuc volumus, et mandamus præfatam eius condemnationem posse, ac debere aboleri per solutionem capitum solidorum, veluti si prædictam pacem obtinuisset in dicto tempore a statutis præscripto. Volentes etiam, ac expresse mandantes, quod executio aliqua fieri non possit pro quacunque causa super illis armis, et vestimentis dictorum militum, qui erunt ad libros dictae militiae descripti, et quibus ad lustrationes, et alia munera comparere tenentur. Et militibus descriptis in nostra militia, qui erunt debitores alicuius in dicta militia non descripti, si ab eodem conveniantur in iudicio, terminos, et dilationes duplicatas concedimus, et

indulgemus. Quodque eorum personæ nullo unquam tempore sint obligatae ad aliqua onera personalia, praeterquam ad ea, quae spectant ad militarem disciplinam, ad custodiam, et defensionem patriae, et Terrae nostrae Sancti Marini, et alia in statutis nostris contenta. Et quam primum aliquis de descriptis in eadem militia nostra quinquagesimum quintum annum suae aetatis attigerit, volumus ei concedi posse, ac debere honoratam licentiam, libertatem, ac missionem ab oneribus militaribus, et quod nihilhominus fruatur eius vita durante omnibus honoribus, et privilegijs, tam concessis, quam in futurum concedendis militibus militiae nostrae veluti si adhuc esset miles eiusdem militiae. Quae privilegia deferendi arma, et omnia, et singula alia pariter concedimus, et indulgemus etiam Doctoribus cuiuscumque aetatis, et scholaribus in Gimnasijs publicis alicuius civitatis studentibus.

De bravio balistantium, et archibusiorum. Rubrica. XXXVIII.

Maiorum nostrorum vestigia, et inveteratam consuetudinem sequi volentes, statuimus, et ordinamus, quod Domini Capitanei qui pro tempore fuerint quotannis in die Festivitatis Sancti Marini nostri Protectoris, ac advocati pro maiori eius celebratione, ac honore, nec non pro militum exercitio, et utilitate debeant emere impensa publica bravium aliquod de panno, sive de alia materia valorem quattuor scutorum non excedens, et illud proponere ac donare illi, seu illis ex archibuserijs nostræ iurisdictionis, aut forensibus, cuius, sive quorum exonerati archibusij pila plumbea in platea nuncupata il planello, seu alibi dictorum Dominorum Capitaneorum arbitrio pilas aliorum vicerit, et superaverit vicinitate ad scopum propositum. Et aliud simile bravium dicti Domini Capitanei debeant proponere, ac donare etiam magnarum balistarum ludum exercentibus, videlicet illi, cuius balistæ sagitta fuerit magis propinqua scopo proposito.

De electione, officio, et potestate Praefectorum seu Depositarij Annonae. Rubrica. XXXIX.

Depositarius Annonae unus vel plures eligantur per Consilium Generale dictæ Terræ, et non aliter, et sic electi teneantur granum, et pecunias, ac nomina debitorum Annonae sibi consignandas, et consignanda recipere, conservare, exigere, et custodire, ac sine omni dolo aut fraude administrare emendo, et venden-

do granum congruis temporibus ad utilitatem Abundantiae. Nec possint modo aliquo dictum granum, aut pecunias in suos vel alium usum convertere, nec cogi etiam per Capitaneos expendere, ex quacunque causa, etiam publica, quibus in hoc parere non teneantur nisi de expressa dicti Consilij licentia, et aliter facientes non excusentur praetextu aliquo, nec liberati intelligantur, sed de suo proprio omnino reficiant, et convertentes in proprios usus, vel aliter dolum, aut fraudem in tali officio committentes puniantur iuxta censuram iuris communis. Inhibemus insuper et ipsis Dominis Capitaneis, et cuilibet officiali ne immediate se ingerant contractando granum, vel pecunias praedictas, vel quicquam in praeiudicium Abundantiae circa eas attentando sub pœna privationis officiorum, et beneficiorum dictae Terrae, et alia ad arbitrium dicti Consilij, etc.

De electione Plazariorum Communis, et eorum officio.
Rubrica. XL.

Domini Capitanei pro tempore existentes in principio eorum officij proponant in Consilio generali quattuor Plazarios, vel plures ad eorum arbitrium, qui tamen sint oriundi, et incolae Terrae Sancti Marini, vel eius Territorij, nisi aliter magis expedire videbitur, et quicunque ex eis in dicto Consilio per suffragia, et balluctas iuxta solitum a maiori parte Consiliariorum fuerit approbatus, sit, et esse intelligatur Plazarius communis pro toto tempore Capitaneorum, qui illos, ut supra proposuerunt, nec aliter electio ipsorum Plazariorum fieri valeat, et si facta fuerit non teneat ipso iure, et dicti Plazarij in admissione ad eorum officium iureiurando promittant illud diligenter, et fideliter omni dolo, et fraude remotis, exercere, et Dominis Capitaneis eorumque Officialibus, et mandatis illorum obedire, nec aliquid accipere a Dominis Capitaneis, Iudicibus appellationum, Camerario, Fisci Procuratore, et alijs Officialibus pro citandis debitoribus communis, vel alijs exequendis pro interesse Camerae nostrae. Et ita, ac alia in praesenti volumine statutorum contenta servare teneantur. Citationes quascunque ad nostrum tribunal ad instantiam, et petitionem cuiuscumque facient nulla etiam Capitaneorum, vel alterius cuiuscunque Iudicis præcedente commissione, et eorum simplici relationi absque ullis testibus in hoc credatur, et stari debeat.

Ad aliena vero tribunalia citare ullo modo non valeant, nisi de expressa Dominorum Capitaneorum licentia sub poena privationis officij, et alijs arbitrio Consilij generalis. Pi-

gnora, vel alia quæcunque si ad eorum manus pervenerint Massario Communis eadem die, vel sequenti assignare teneantur. Unus eorum quolibet praestituto die continue in Palatio Communis vicissim permanere, ibique assistere debeat. In diebus Festivis Dominos Capitaneos, et alios Officiales pro tempore existentes ad Ecclesias saltem duo ex eis comitabuntur, et ad domum postea reducent.

In die vero Mercurij, et nundinarum omnes simul Dominis Capitaneis, alijsque iudicibus inservient, cum eis etiam ad emporium, et nundinas accedendo, librum statutorum, ac alios nécessarios de mandato eorum deferendo, et in die quo congregantur consilia sexaginta, vel duodecim virorum, sive Arengum omnes eisdem assistere debeant. Si quis autem eorum in praedictis, vel aliquo praedictorum defecerit, liceat Capitaneis praedictis auctoritate propria deficientes, et inobedientes ab officio removere.

Qui sic tam praeteritis temporibus remoti, quam in posterum, ut praefertur, removendi, ad eorum officium amplius admitti nequaquam debeant, nec possint, nisi admittantur a maiori parte Consiliariorum in Consilio generali, per suffragia, et balluctas iuxta solitum. Dantes nihilominus Dominis Capitaneis praedictis auctoritatem unum, vel plures in locum amotorum interim subrogandi, et constituendi dummodo ex numero amotorum non existant, donec Consilium generale habeatur, in quo Consilio debeant proponi, et a Dominis Consiliarijs, si sic eis visum fuerit, approbari modo, et forma praemissis, et electio eorum aliter facta, sit ipso iure nulla, et Domini Capitanei, vel unus eorum pro urgenti ac improvisa necessitate, si sic ipsis, vel alteri eorum visum fuerit, possint convocare alios executores forenses impensis ipsius Communitatis. Et Domini Capitanei, vel alter eorum qui praedicta observari non curaverint, vel contra illa attentaverint pœna vigintiquinque librarum denariorum Camerae Communis nostri applicandorum puniantur.

Plazarij autem ipsi, vel aliquis eorum, qui prædictis, vel alicui prædictorum quomodolibet contravenerint, paulos tres Papales integros absque alia declaratione pro pœna Communi nostro solvent, et maiorem etiam corporalem arbitrio Dominorum Capitaneorum. Salarium vero cuiuslibet eorum erit librarum quindecim denariorum, tubicinis vero librarum decem, et septem similium computatis in eis quindecim præmissis in fine singuli semestris eisdem persolvendis. Et mercedes alias habeant iuxta taxationes superinde emanatas, et constitutas, aut de novo faciendas, etc.

Possintque deferre arma cuiuscunque generis ubique, et in omni tempore, exceptis archibusijs minoris longitudinis trium palmo-

rum semper prohibitis, et si generali Consilio pro meliori executione iustitiæ quandoque expediens visum fuerit conducere Baroncellum forensem, tunc, et eo casu deveniatur ad eius electionem iuxta formam traditam in libro Extraordinariorum sub Rubrica de electione Baroncelli, et eius officio.

De electione Superstitum viarum, et aquarum, et eorum officio.

Rubrica. XLI.

Eligantur per Consilium Generale in principio cuiuslibet Capitaneatus duo Superstites boni, et fideles de Terra Sancti Marini, qui vocentur Superstites generales viarum, et aquarum, et deinde per Dominos Capitaneos pro tempore existentes eligatur ut supra pro qualibet Capella nostra territorij unus Superstes particularis viarum, et aquarum, quorum officium duret sex futuris mensibus. Qui omnes a principio iureiurando promittent, et ita observare curabunt, quod quæcunque viæ publicæ ubique locorum in Terra, Territorio, et districtu Sancti Marini apte conserventur, et manuteneantur, ac a nemine occupentur, vel dirupentur, et devastentur.

Eundo singulis mensibus saltem semel per vias, et loca Sancti Marini, et eius Territorij, videlicet Superstites generales per Terram et totum Territorium, et superstites particulares per loca Capellæ eis commissæ, in quibus si aliquam invenerint viam occupatam, diruptam, et non aptam, requirere debeant illum, vel illos quos id fecisse crediderint aliqua iusta, vel verisimili causa, vel præsumptione ad ita credendum inducente, vel quos ita vere id fecisse constabit, illisque præcipere, quod occupatum dimittant, et diruptum reparent, assignando eis terminum octo dierum, et plus, vel minus, prout rei qualitas, et facti evidentia postulabit, et expedire videbitur ad prædicta exequendum. Qui sic moniti, si infra præfixum terminum non obedierint in pœna quinquaginta solidorum puniantur.

Quam pœnam ipsi quoque Superstites omnes incurrent, si in prædictis negligentes extiterint pro qualibet vice, et pro quolibet eorum in casu negligentiæ, vel contraventionis. Quemadmodum etiam in eamdem pœnam incurrent, nisi per Cancellarium nostrum Communis adnotari curaverint tempus, quo singulis vicibus ad prædicta loca accesserint ad effectum prædictum, et inobedientes, quos invenerint.

Mandantes, quod dicti Superstites particulares teneantur obe-

dire mandatis Superstitum generalium in omnibus rebus ad eorum officium spectantibus. Et habeant dicti duo Superstites generales quartam partem inter ipsos dividendam omnium pœnarum, quæ tempore eorum officij, eorum opera ad manus nostri Camerarij pervenerint, vel ab eo in eius libro pro incameratis fuerint descriptæ.

Nec possint ipsi, aut alij Superstites particulares dictum officium recusare sub pœna librarum decem pro quolibet, et vice qualibet nostro Fisco applicandarum.

Dantes eisdem duobus Superstitibus generalibus auctoritatem, facultatem, et potestatem, prout infra in diversis Statutis præsentis voluminis continetur, etc.

De electione aestimatorum damnorum datorum, et relatorum maleficiorum, et eorum officio.

Rubrica. XLII.

ELIGANTUR per Dominos Capitaneos in principio eorum officij homines idonei, et legales in aestimatores damnorum datorum, et relatores, sive denunciatores maleficiorum, et delictorum, videlicet, unus pro Terra, et Contrata plagiarum, unus pro Mercatale, et Villa Cailungorum, et unus pro qualibet alia Capella eius Territorij, quorum officium duret sex futuris mensibus. Qui sic electi iurabunt in manibus Dominorum Capitaneorum illud fideliter exercere omni dolo, et fraude penitus remota, etc.

Teneantur autem ad omnem cuiuscunque damnum passi instantiam, et requisitionem accedere ad loca in quibus damnum datum esse dicetur eadem die, vel proxime sequenti, qua fuerint requisiti, et ipsum damnum fideliter æstimare, et coram Notario, et Officiali damnorum datorum illius æstimationem referre ad petitionem damnum passi dummodo æstiment, et æstimationem referant durante eorum officio, et non ultra.

Alias si in prædictis, vel aliquo prædictorum defecerint, solvant Communi pro pœna bononenos decem, et nihilominus ad æstimationem faciendam, et referendam, ut supra, compellantur. Cui æstimationi accusatus quisque de damno dato stare teneatur, et damnum illud secundum ipsam æstimationem emendare cogatur ultra alias pœnas comprehensas in statutis damnorum datorum. Et casu quo damnum passis foret suspectus aliquis

de prædictis aestimatoribus, eis liceat de ordine Dominorum Capitaneorum alium de prædictis aestimatoribus partibus non suspectum eligere, et ad videndum, et aestimandum damnum conducere.

Habeant autem dicti aestimatores pro qualibet eorum aestimatione cum sua relatione de damnis datis in eorum Capellam bononenos duos, sed extra eorum Capellam bononenos tres, et quandoque plures attenta locorum distantia arbitrio Dominorum Capitaneorum, etc.

Quo vero ad pertinentia officij relatoris sive denunciatoris maleficiorum tenentur servare, et facere ea omnia, et singula de quibus in statuto sub Rubrica de relatoribus maleficiorum.

De officio Massariorum Protectoris nostri Sancti Marini.

Rubrica. XLIII.

Statuimus, et ordinamus, quod Massarij oblationum Sancti Marini Protectoris nostri teneantur in fine anni infra mensem eorum finito officio reddere administrationis suæ rationem, et omnium rerum ad dictas oblationes pertinentium ad eorum manus perventarum, cum consignatione reliquorum Massarijs eorum successoribus per eos eligendis, ad pœnam decem librarum denariorum pro quolibet ipsorum dictam resignationem, et consignationem integram non facientium. Et nihilominus ad prædicta cogi, et compelli debeant.

Et Capitanei dictam pœnam de facto exigere teneantur, et illam in utilitatem, et ornatum Ecclesiæ Sancti Marini convertere. Qui Domini Capitanei si in hoc negligentes extiterint eamdem pœnam incurrant, quam Massarij prædicti rationem, ut supra, non reddentes. Et successores Capitanei dictas pœnas exigere teneantur, et illas in utilitatem dictæ Ecclesiæ converti facere semper sub eadem pœna.

Et ne fraus committatur statuimus, quod præsentes Massarij librum unum conficere teneantur, in quo quicquid ad eorum manus pervenerit, tam ex redditione rationum suorum praecessorum, quam ex qualibet alia causa conscribatur. Qui liber semper penes Dominos Capitaneos pro tempore existentes remanere debeat. In quorum, et Camerarij, ac Fisci Procuratoris praesentia rationes praedictae reddantur, et calculentur, ac in dicto libro annuatim clare, specifice, et aperte describantur.

Qui oblationum prædictarum redditus utiliter in ornatum, et Ecclesiae praedictae utilitatem expendatur ad Consilij generalis beneplacitum, et voluntatem.

Et dicti Massarij teneantur, non solum exigere oblationes solitas a Communitatibus nostrorum Oppidorum, sed etiam in die Festivitatis Sancti Marini stare ante valvas Palatij, ubi ius redditur, et a quolibet de Terra, et Territorio nostro sponte dante, accipere, et exigere solitas eleemosynas pie invitando singulos ad eas benigne, et largiter erogandas.

De electione Superstitum Sanitatis, et eorum officio, et iurisdictione una cum Dominis Capitaneis.

Rubrica. XLIV.

Statuimus, et ordinamus, quod pro salute, praeservatione, ac conservatione, et liberatione Terrae nostrae, Curiae, et districtus, ac iurisdictionis eiusdem a peste Epidemiae, Domini Capitanei qui pro tempore fuerint possint, valeant, et debeant tempore pestis Epidemiae duos Superstites Sanitatis ad libitum ipsorum Dominorum Capitaneorum, et finito officio dictorum Superstitum alios similiter eligere, ut supra. Qui Superstites Sanitatis statim electi a Dominis Capitaneis de cetero una cum dictis Dominis Capitaneis pro tempore existentibus habeant plenam, et omnimodam potestatem, facultatem, et auctoritatem providendi, ac provisiones necessarias faciendi ad evitandam pestem, et consequendam liberationem ab ea dictae Terrae, Curiae, et districtus, tam in expellendo de dicta Terra, et domibus ipsorum infectos peste, aut suspectos propter practicam, et eos confinando in quibuscumque locis, quibus ipsis Dominis Capitaneis, et Superstitibus videbitur, et placebit, quam etiam in praecipiendo, mulctando, et puniendo quibuscumque paenis, et in quacumque quantitate, et tam in aere quam in persona, omnes, et singulos inobedientes, ac recusantes parere mandatis eorum de facto, sine scriptis, ac reiectis omnibus iudiciarijs solemnitatibus, etiam extraiudicialiter compellendo, et exequendo, omni appellatione remota, et omni recursu Consilij generalis, et omni audientia penitus denegata, in omnibus, et singulis casibus contentis, et comprehensis in praesenti statuto. Ac in liberando, et absolvendo confinatos, qui pro tempore steterint, et purgaverint se ab infectatione, et suspicione pestis praedictae. Ac ge-

neraliter ad omnia alia, et singula faciendum, gerendum, dicendum, et cum effectu operandum, quae in praedictis, et circa praedicta, putaverint necessaria, et opportuna. Ac etiam omnia ea, et singula, et circa provisionem pestis, et salutem ac liberationem dictae Terrae, Curiae, et districtus, quae possent facere ipsi Domini Capitanei, et statuentes, etiam si ea forent, quae sine expressa auctoritate, et potestate Dominorum Consiliariorum fieri non possent. Concedentes dictis Dominis Capitaneis, et Superstitibus pro tempore existentibus in praedictis, et circa praedicta occasione pestis eandem liberam, plenam, amplam, et omnimodam potestatem providendi, quam habet generale Consilium nostrae Reipublicae Princeps.

Ac insuper liberantes, et absolventes ex nunc dictos Dominos Capitaneos, et Superstites ab omni Syndicatu, et ratione reddenda de gestis, vel gerendis per eos super praemissis, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus, et praedicta omni meliori modo, etc.

De electione, officio, et mercede Castellani primae arcis. Rubrica. XLV.

Statuimus, et ordinamus, quod quotannis de mense Aprilis in primo generali Consilio per Dominos Capitaneos, qui pro tempore fuerint, et deinde per Consiliarios volentes, proponi debeant omnes ambientes, et petentes officium Castellaniae Arcis maioris sitae in summitate Terrae nostrae Sancti Marini, videlicet in monte vulgariter nuncupato Monte della guaita, qui sint, et esse debeant oriundi de dicta Terra Sancti Marini, vel eius Territorio, et apti, ac idonei ad dictum officium exercendum, cum quibus etiam concurrere possit, si voluerit, Castellanus antecedentis anni. Et qui ex eis superaverit ceteros maiori numero suffragiorum, et balluctarum, sit et intelligatur esse electus Castellanus dictae Arcis, cuius officium duraturum per annum, et ultra, si confirmatus fuerit modo praedicto, sit praevio eius iuramento praestando in manibus Dominorum Capitaneorum bene, et diligenter sine dolo, et fraude, aut machinatione aliqua ad usum veri boni, et diligentis Castellani custodire dictam Arcem cum suis Turribus, domibus, custodijs, cisterna, moenijs, hortis, et bonis mobilibus, et immobilibus, ac pertinentijs existentibus in ea, seu in ejus pendicibus sibi de mandato Dominorum Capitaneorum consignandis a Cancellario Communis per inventarium describendum in libris capitulorum dictae Communitatis.

Et in ea continue, et familiariter noctis tempore stare, et habitare cum tota eius familia, de die vero ipse Castellanus, vel unus ex eius filijs masculis tantum, exceptis tamen temporibus belli, vel suspicionis eius, quo casu volumus duos ipsorum continue de die, et de nocte stare, et habitare in dicta Arce, et de nocte vigilare, et custodias in ea facere, et pulsare campanam pro custodijs excitandis in dicta Terra iuxta morem antiquum semper hactenus observatum, et duas custodias tunc facere, videlicet unam ipsum Castellanum, et alteram eius filium, prout ipsis per Dominos Capitaneos, vel alios deputatos iniunctum, et ordinatum erit.

Teneatur etiam dictus Castellanus custodire cum omni diligentia rupem Communis, ne ab aliqua persona, vel animali damnificetur, cuius contrarium si factum fuerit, teneatur statim sub vinculo iuramenti referre Dominis Capitaneis, vel eorum Cancellario qualitatem damni, et a quibus datum fuerit. Non possit etiam dictus Castellanus in locum suum aliquem subrogare sine expressa licentia Consilij generalis. Et tempore belli ab occasu usque ad ortum solis, tempore vero pacis a prima hora noctis usque ad auroram diei sequentis, nequeant dictam Arcem aperire, vel apertam tenere, nec aliquam personam in ipsam introducere, nec introduci facere, aut permittere. De die vero nullo unquam tempore possit in ipsam Arcem introducere, nec introduci facere, aut permittere aliquam personam forensem, sine expressa licentia Dominorum Capitaneorum, qui pro tempore fuerint, et in omnem casum dictus Castellanus debeat monere introeuntes, et accedentes, ne proijciant lapides per rupem, qui si non obedierint, Castellanus teneatur eos accusare medio eius iuramento, et si lapides, quos proijcerint per rupes, erunt de moenijs Arcis, vel Terrae, poenam duplicatam solvere teneantur. Sit pariter obligatus dictus Castellanus de mane, et de sero pulsare campanam ad martellum tribus intermissis, et reiteratis vicibus ad excitandum populum nostrum ad tribuendum debitas laudes Divae Mariae Virgini iuxta consuetudines Christianae Religionis, et dictae Terrae semper observatas a Castellanis dictae Arcis. Et dictis laudibus pulsatis, debeat etiam alijs tribus intermissis, et reiteratis vicibus saltem per quartum unius horae campanam similiter ad batoccum sonare secundum solitum, et consuetum, videlicet de sero hora secunda noctis pulsata, de mane vero per horam ante diem. Item tempore belli, vel suspicionis eius, debeat diligenter oculis, et visu perscrutari circum circa campaneas, et quando viderit aliquo in loco in districtu dictae Terrae, et maxime in curte eiusdem aliquam personam equitantem, vel pedestrem ultra numerum duarum personarum, teneatur pulsare campanam dictae Arcis iuxta consuetudinem hactenus observatam,

sub poena in eius capitulis statuenda, et etiam arbitrio Dominorum Capitaneorum eis de facto infligenda.

Debeat etiam dictus Castellanus de mandato Dominorum Capitaneorum, vel alterius eorum pulsare campanam ad congregandum Consilium magnum, et generale modis, formis, et temporibus in alijs statutis appositis. Et similiter sonare eamdem campanam ad martellum ad convocandum populum nostrum sive milites nostrae militiae ad arma, et ad custodiam nostrae Terrae, et Mercatalis, et persecutionem bannitorum, semper, et quandocunque ei per Dominos Capitaneos, vel per Ducem eiusdem militiae de mandato eorumdem fuerit iniunctum, et commissum, ac etiam quoties de die, vel de nocte intus Terram, vel in Mercatali, et praesertim in diebus mercati, et nundinarum videret, vel audiret aliquam magnam rixam ortam esse inter homines nostros, vel forenses.

Sit etiam cura, et onus dicti Castellani bene, et diligenter custodiendi, et gubernandi personas nostrae iurisdictionis, sive forenses carceratas in dicta Arce de mandato Dominorum Capitaneorum, seu alterius Officialis iustitiae dictae Terrae pro dicto Consilio, et Regimine ipsius, ne fugiant, aut pereant, dummodo ipsi Castellano consignentur constitutae, et detrusae in fundo Turris dictae Arcis, quo casu sit obstrictus poenis legalibus, et non aliter, nec alio modo.

Et si secus factum fuerit ipse Castellanus de fuga ipsarum non teneatur, dummodo ipsius culpa non aufugerint.

Et tam in praedictis, quam eveniente casu, quo praefati Officiales iustitiae aliquem sub fideiussionibus retinerent pro causis civilibus, vel criminalibus in dicta Arce, extra tamen fundum Turris, dictus Castellanus teneatur eisdem carceratis victum bene ordinatum praebere, et ministrare impensa ipsorum carceratorum vel sua propria, sibi postea reficienda per ipsos carceratos ante exitum ipsorum de dicta Arce, vel a Communitate, si carcerati satis non fuerint solvendo.

Teneatur quoque dictus Castellanus adhibere omnem curam, et diligentiam circa vigilantiam custodiarum, quae pro tempore a Dominis Capitaneis ponentur in dicta Arce, et in dividendo ipsas vigilias nocturnas, et diurnas, ita ut electio primae vigiliae sit ipsius Castellani, qui debeat etiam referre Dominis Capitaneis, si eius filius, aut aliquis alius custodiam suam non fecerit, et non vigilaverit, ut possint puniri sub poenis in statutis contentis. Debeat pariter dictus Castellanus temperare, sive moderare, et custodire horologium communis existens in dicta Arce pro eius posse, sive scientia, et secundum consuetudinem aliorum Castellanorum, et pro dicta cura

habere a Communitate libras quattuor olei quolibet anno, videlicet unam in principio cuiuslibet trimestris. Et durante eius officio debeat dictus Castellanus ipsam Arcem pro Republica, et libertate Terrae Sancti Marini, et pro eius Commune, et Regimine tenere, possidere, et conservare, nec ab alio possit, aut debeat illam confiteri, nec recognoscere, sub poenis iuris communis, et alijs arbitrio Consilij generalis.

Habebit autem pro suo salario ipse Castellanus libras centum denariorum singulo anno ab ipsomet exigendas a Populo nostro, vel si maluerit solum libras nonaginta denariorum sibi erogandas de trimestre in trimestrem ab Exactore nostro generali, qui tali casu tenebitur exigere collectam dicti Castellani impositam per aes, et libram ab universo populo nostro.

Item poterit frui, et uti domibus, et hortis communis sitis in dicta Arce, et extra, et eorum fructus ad eius usum, et utilitatem, ac commodum libere convertere, prout ipsi magis placuerit.

Et durante tempore officij dicti Castellani, ipse Castellanus cum tota eius familia erit exemptus a ceteris omnibus oneribus personalibus.

Et a carceratis in suis manibus traditis, pro custodia habebit infrascriptas mercedes, videlicet: in causis criminalibus a qualibet persona forensi grossum unum pro die ac nocte, et a qualibet persona terrigena bononenum unum pro die, ac nocte. In causis vero civilibus a forensibus bononenos duos, et a terrigenis unum pro die ac nocte.

Quae salaria possint etiam moderari a Capitaneis pro tempore existentibus secundum possibilitatem carceratorum, casu quo forent pauperes.

Et Domini Capitanei, qui pro tempore fuerint, teneantur reddere ius summarium sine scriptura, et figura iudicij ipsi Castellano, vel Exactori in exigendo collectam impositam pro eius mercede, et salario.

Et finito eius officio, ad omnem requisitionem Dominorum Capitaneorum vel Consilij generalis ipse Castellanus teneatur dictam Arcem, et eius bona in aequo bono statu, et conditione, in quali recepit dimittere, et relaxare dictam Arcem liberam, vacuam, et expeditam sub poena arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consilij statuenda, et de praedictis omnibus, et singulis observandis, in ingressu eius officij debeat praestare idoneam fideiussionem arbitrio Dominorum Capitaneorum, et talis eius fideiussio debeat annotari per Cancellarium Communis in libro capitulorum, sive in libro fideiussionum praedictae Terrae.

De electione officio, ac mercede Castellani secundae Arcis. Rubrica. XLVI.

Facta electione Castellani secundae Arcis Terrae Sancti Marini sitae in summitate montis vulgariter nuncupati Monte della cesta infra moenia nova, et primam Arcem, eisdem modo, formis, et circumstantijs, ac tempore, quibus electionem Castellani primae Arcis fiendam esse in praecedenti statuto tradidimus, debeat ipse Castellanus medio eius iuramento, praestando in manibus Dominorum Capitaneorum bene, et diligenter sine dolo, fraude, aut machinatione aliqua ad usum veri boni, et diligentis Castellani custodire dictam Arcem, sive Turrim cum suis custodijs, fortilitijs, cisterna, moenijs, hortis, et bonis mobilibus, et immobilibus, ac alijs iuribus, et pertinentijs sibi de mandato Dominorum Capitaneorum a Cancellario per inventarium describendum in libris capitulorum dictae Communitatis consignandis in dicta Arce, sive in summitate nostri Montis infra mœnia nova, et primam Arcem Terrae praedictae, in loco vulgariter nuncupato, la Fratta di sopra.

Et in dicta Arce, sive Turri debeat continue habitare, cum ejus familia, et ab ea non recedere, nisi de mane post sonum Missarum causa eundi ad aliqua eius negotia necessaria per duas, vel tres horas, et post prandium per alias duas horas, relicta in dicta Arce, sive Turri una persona ex eius familia, et postea redire ad dictam Arcem, et de nocte continue stare in ea, et ipsam custodire, et custodias facere, et alijs custodijs dictae Terrae, et Arcis maioris secundum ordinem, et morem hactenus observatum respondere, et non contrafacere. Et casu quo constaret ipsum non adfuisse in dicta Arce, si tempore noctis defecerit solvat de facto Cameræ nostræ pro qualibet vice pro pœna bononenos viginti, si vero de die defecerit solvat solummodo medietatem dictæ pœnæ, absque alia condemnatione, omni appellatione remota.

Teneatur etiam ipse Castellanus diligenter custodire silvas riparum, et fractæ Communis, ne ab aliquibus personis, et bestijs damnificentur, et statim visis aliquibus personis, seu bestijs damnificantibus, debeat denunciare, et notificare Dominis Capitaneis tales damnificantes sub vinculo eius iuramenti. Nec possit ipse Castellanus in locum suum substituere, vel subrogare aliquem sine licentia Consilij generalis dictae Terrae.

Et tempore belli ab occasu usque ad ortum solis, tempore vero pacis a prima hora noctis usque ad auroram diei sequentis, nequeat dictam Arcem aperire, vel apertam tenere, nec aliquam personam in ipsam introducere, nec

introduci facere, aut permittere, et similiter portam Fractæ de nocte clausam teneri curabit. De die vero nullo unquam tempore possit in ipsam Arcem introducere, nec introduci facere, aut permittere aliquam personam forensem sine expressa licentia Dominorum Capitaneorum, qui pro tempore fuerint. Debeat etiam tempore belli, vel suspicionis eius dictus Castellanus oculis, et visu diligenter perspicere, et perscrutari campaneas circum circa in districtu, et curte dictæ Terræ nostræ, et etiam regiones vicinas. Et quandocunque apparuerit, vel apparere ceperit in districtu dictæ Terræ, et locis convicinis aliqua persona equitans, seu pedestris ultra numerum duarum personarum, teneatur sonitu campanæ, vel alicuius cornu id notificare Castellano primæ Arcis sub pœnis arbitrio Dominorum Capitaneorum, et alijs in eis capitulis contentis.

Sit etiam cura dicti Castellani bene, et diligenter tenendi, et custodiendi homines, et personas carceratas in dicta Arce per Dominos Capitaneos, et Commune Terræ nostræ, dummodo ipsi Castellano in carcere, et in fundum dictæ Arcis detrusi consignentur, et non aliter, nec alio modo, immo si secus factum fuerit ipse Castellanus de fuga ipsorum non teneatur, et a prædictis carceratis dicto Castellano persolvantur eadem salaria, quæ fuerunt deputata Castellano Arcis maioris. Debeat pariter dictus Castellanus habere diligentem curam in ponendo custodias, quas Domini Capitanei pro tempore transmiserint in dicta Arce, et in dividendo vigilias, et horas tam nocturnas, quam diurnas, ita quod prima vigilia sit ipsius Castellani, et in referendo dictis Dominis Capitaneis quis vigilias, et custodias suas non fecerit, ut possint eum punire sub pœnis in statuto contentis.

Durante vero eius officio debeat ipse Castellanus præfatam Arcem, et eius bona ad instantiam universitatis, et Reipublicæ Terræ nostræ Sancti Marini tenere, et ab alio non recognoscere, nec confiteri sub pœnis iuris communis, et alijs arbitrio Consilij generalis. Habeat autem talis Castellanus a Communitate nostra pro eius salario, et mercede decem mastellos grani boni, et recipientis, et salmas quinquaginta lignorum per ipsum Castellanum exigendos vel exigendas a personis particularibus secundum librum, seu cedulam sibi assignandam, et ligna eidem debeant portari per deputatos ad dictam Arcem, ut moris est: salva, et reservata eidem Consilio, et Dominis Capitaneis, vel alijs electis facultate moderandi dictam quantitatem grani, et lignorum ad eorum libitum, et voluntatem, attenta qualitate temporum.

Possit etiam uti, et frui Terris existentibus intra dictam muratam novam, et in eius usum, et utilitatem ad eius libitum earum fructus convertere. Et in exigendis singulis praedictis per Dominos Capitaneos reddatur sibi ius

summarium, et expeditum. Et præterea talis Castellanus, durante eius officio, sit liber, et exemptus ab omnibus alijs factionibus personalibus. Finito vero tempore sui officij teneatur dictam Arcem, et eius bona in eodem statu, quo erant tempore consignationis, Capitaneis dictæ Terræ pro tempore existentibus, vel alteri eius successori de mandato Consilij generalis liberam, vacuam, et expeditam restituere, dimittere, et relaxare.

Et de prædictis omnibus, et singulis observandis, in ingressu eius officij præstabit fideiussorem idoneum arbitrio Dominorum Capitaneorum, et talis fideiussio annotetur per Cancellarium Communis in libris Capitulorum, vel fideiussionum dictæ Terræ nostræ.

De electione officio, et mercede custodis Arcis Serravallis. Rubrica. XLVII.

Eligatur quotannis per suffragia, et balluctas per Dominos Capitaneos, et Consiliarios in primo Consilio generali congregando de mense Aprilis unus vir probus, et fidelis oriundus de Terra, et Territorio nostro in Castellanum Arcis Serravallis, qui sit idoneus, et aptus ad illius custodiam, cuius officium sit, præstito prius iuramento fidelitatis in manibus Dominorum Capitaneorum, dictam Arcem, et eius bona eidem per inventarium consignanda, bene, et fideliter absque dolo, et machinatione de die, et de nocte custodire, et conservare pro Republica, et libertate Terræ nostræ, nec eam ab alio confiteri vel recognoscere ad usum boni, veri, ac fidelis Castellani, et elapso anno eius officij teneatur dictam Arcem liberam, vacuam, et expeditam, et bona praedicta restituere, et relaxare in manibus Dominorum Capitaneorum, vel alterius ad id a Consilio generali deputati, casu quo ipsemet non foret in eo officio confirmatus, et alia facere, ad quae tum de iure communi, et municipali, tum de consuetudine tenetur, vel quæ eidem a generali Consilio, et Dominis Capitaneis Terrae nostrae fuerint iniuncta, sub pœnis corporalibus, et pecuniarijs arbitrio Consilij prædicti infligendis, attenta qualitate delictorum. Habeat autem pro eius mercede, et salario libras quinquaginta denariorum sibi persolvendas de semestri in semestre, et in fine cuiuslibet eorum ab exactoribus collectarum Castrorum Serravallis, Faitani, et Montis giardini iuxta solitum. Quod salarium possit etiam augeri, et minui arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consilij, et pariter habeat usum fructum hortorum penes dictam Arcem existentium.

De custodia Terrae nostrae Sancti Marini.

Rubrica. XLVIII.

Quoniam inter graviora negotia Reipublicæ custodia Terræ nostræ Sancti Marini semper habita fuit, ideo statuimus, et ordinamus quod de cetero Domini Capitanei, qui pro tempore fuerint, curare teneantur ut die noctuque praedicta Terra nostra diligentissime, ac fideliter per custodes de Terra, et Territorio nostro oriundos, et ab ipsis Dominis Capitaneis eligendos, et deputandos custodiatur, et praesertim diebus Mercurij, et nundinarum. Quorum custodum officium sit in locis eisdem per ipsos Dominos Capitaneos assignandis, debitis, et statutis horis invigilare, excubias facere, Terramque nostram optime custodire, et a loco prædicto non discedere, nisi finita eius custodia, sub pœnis in alijs decretis præsentis voluminis statutorum comprehensis. Possint autem dicti custodes, durante eorum custodia, omnia arma, exceptis archibusijs minoris longitudinis trium palmorum, deferre. Et habeant dicti custodes mercedem eisdem arbitrio Capitaneorum qui pro tempore fuerint statuendam, et a singulis de populo nostro descriptis in cedula eisdem a Dominis Capitaneis in fine semestris danda per ipsos exigendam. Teneantur etiam dicti Domini Capitanei in quolibet Consilio generali per eos congregando, post debitas preces habitas Deo, et Protectori nostro Sancto Marino in primis, et ante omnia proponere custodiam præfatæ nostræ Terræ sciscitando a Dominis Consiliarijs, an eisdem placeat præsens modus custodiarum, vel alius, et quod a maiori parte Consiliariorum erit resolutum circa custodiam dictæ Terræ, ab ipsis Dominis Capitaneis omni solertia, et fide exequatur.

De custodibus Portarum Terrae Sancti Marini.

Rubrica XLIX.

Eligantur per Dominos Capitaneos Terræ Sancti Marini, qui pro tempore fuerint, in principio eorum officij quatuor custodes portarum eiusdem Terrae, videlicet duo in custodes Portae nuncupatae Portae loci, et alij duo in custodes Portae nuncupatae Portae rupis, quorum officium per sex menses duraturum sit in domibus ad custodiam dictarum portarum deputatis

continue residere, dictasque portas fideliter, et diligenter custodire, videlicet de nocte ambo in dictis domibus ad custodiam cuiuslibet portæ pernoctare, et debitis horis vigilare debeant, et de die saltem unus eorum, nec alicui introire, vel egredi volenti de nocte dictas portas aperire possint, aut debeant a fine tertij sonitus campanæ Arcis majoris, qui fit de sero, pulsata secunda hora noctis, et vulgariter nuncupatur il batocco, usque ad finem similis tertij sonitus eiusdem campanæ, qui fit de mane per horam ante diem, videlicet de uno batocco ad aliud, nisi pro negotijs publicis, Sacramentorum delatione, pro recursu habendo ad Medicum, et Pharmacopolas, vel nisi quando aliquis civis, qui diu, vel longe extra Territorium nostrum abfuit, de sero redit ad patriam. Immo tempore pacis teneantur de sero hora præfata dictas portas claudere, illisque clausis, illarum claves ad Dominos Capitaneos deferre, et postea de mane hora antedicta ire pro eisdem clavibus, et dictas portas aperire hora solita, et consueta. Et in omnem eventum nunquam permittent forenses, cuiuscunque conditionis existant, ingredi Terram nostram, nisi eos particulariter, et in specie interrogaverint unde sint, quo velint ire, et ad quid agendum.

Et ulterius non permittent dictos forenses introire per portas Terræ nostræ cum aliquo armorum genere, etiam in gratiam alicuius ex nostris civibus, sed facta armorum diligenti perquisitione, ipsos forenses ea deponere omnino curabunt, et introeuntium arma omnia sub bona custodia apud se retinebunt, donec, et quousque dicti forenses in nostra Terra permanserint, et de ea egredi voluerint, et si ex dictorum forensium qualitatibus, ac responsis in eorum ingressu alicuius iminentis præiudicij nostræ libertati in mente dictorum custodum suspicio oriretur, debeant, antequam dictos forenses introducant, prædicta omnia notificari facere Dominis Capitaneis, sine quorum licentia tunc tales forenses ingredi Terram nostram nullo pacto permittent, et præsertim diebus Mercurij et nundinarum, quibus præfatam portam loci clausam teneri debere volumus, et mandamus, nec alicui per custodes aperiri, nisi ex aliqua de prædictis iustis causis sub pœnis tum corporalibus, tum pecuniarijs, si prædicta omnia, et singula dicti custodes non observaverint arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim eisdem infligendis.

Nec non unius scuti pro vice qualibet, et pro quolibet eorum, qui prædictas portas, seu alteram earum sine ullo custode etiam pro quocunque minimo intervallo temporis, relinquerint. Alij vero custodes Terræ præfatæ non facientes suas custodias, vel eas non facientes debitis modis, et formis, aut dormientes indebitis horis pœnis ordinarijs, et infra in alijs decre-

tis præsentis voluminis statutorum contentis, puniantur. Habeant autem dicti custodes portarum a Comunitate nostra pro eorum salario, et mercede dictorum sex mensium pro quolibet eorum libras quindecim denariorum sibi persolvendas in fine cuiuslibet semestris, et plus, vel minus arbitrio Dominorum Capitaneorum pro tempore existentium, nec non duas custodias inter eos quatuor, videlicet inter ipsorum duos unam: et electio primæ vigiliæ, sive custodiæ erit ipsorum custodum portarum. Qui similiter poterunt petere, et accipere ligna a transeuntibus cum salmis eorum, et ea sponte dare volentibus, et non aliter, nec alio modo, etc.

De visitandis Castris nostris Serravallis, Faitani, et Montis giardini.

Rubrica L.

Capitanei Terræ Sancti Marini iuxta morem antiquum debeant ire saltem semel durante eorum officio ad Castra Serravallis, Faitani, et Montis giardini, et hortari homines dictorum locorum ad bene, et quiete vivendum, et illorum necessitatibus, et occurrentijs perscrutatis, et auditis, providere omnibus pro eorum posse. Nec non revidere Arcem, et mœnia dictorum locorum, et ea reparari curare, et alia facere, quæ eis videbuntur necessaria, et opportuna, ad conservationem dictorum locorum, et personarum dictioni nostræ subditarum.

De instauratione, et conservatione Castrorum Serravallis, Faitani, et Montis giardini, et de introitibus eorum bene exigendis, et utiliter erogandis.

Rubrica LI.

Ne Castra Serravallis, Faitani, et Montis giardini nostræ Reipublicæ subdita, et quæ a nostris maioribus tot laboribus, vigilijs, impensis, ac eorum sanguine fuerunt acquisita, nostra negligentia, et ignavia penitus labantur in ruinam, statuimus, et ordinamus non solum mœnia, et cetera aedificia publica dictorum Castrorum, et praesertim Arcis Serravallis temporis vetustate lacera, debere resarciri, et instaurari, sicque restituta perpetuo conservari, sed etiam domos parti-

cularium personarum intus dicta Castra existentes, quae corruerunt, debere restitui, et una cum alijs, quae non corruerunt, custodiri, et tueri, nec de cetero posse destrui, et demoliri. Immo etiam foveas contiguas ad triticum conservandum vetustate collapsas, aut ab aqua devastatas debere lapidibus, et terra optime claudi, et obturari.

Et ut facilius praedicta perficiantur, hominibus pro nunc electis a nostro generali Consilio, et deinceps conservatoribus aedificiorum publicorum, qui successivis futuris temporibus extiterint, et cuilibet eorum in praedictis, et circa praedicta concedimus in solidum amplam auctoritatem, et potestatem praedicta moenia et alia aedificia dictorum Castrorum tum publica, tum privata, quae erunt quoquomodo lacera, resarciendi, instaurandi, et restituendi, sive resarciri, instaurari, et restitui faciendi, videlicet moenia, et alia aedificia publica dictorum Castrorum, et praesertim Arcis Serravallis impensis publicis, imponendo, pro prima vice tantum, particularem collectam per aes, et libram universo populo nostro, pro dicta instauratione facienda, necnon cogendi nostros subditos sub pœnis eisdem bene visis, ad praestandum eorum operas, et bestias, ad talem restitutionem necessariam, secundum eorum possibilitatem, et qualitatem.

Domos vero particularium personarum, et foveas supradictas a dominis earum cuiuslibet eorum impensis restitui, et conservari curabunt.

Et ne quis aliquo praetextu paupertatis, absentiae, vel alijs subterfugijs a tam bono opere se excusare possit, de plenitudine nostrae supremae potestatis, concedimus Officialibus praedictis auctoritatem, et facultatem praedictas domos, et foveas de facto absque causae cognitione, et sine processu, et figura iudicij, omni appellatione, et recursu remotis, auferendi ab earum dominis eas reficere, et restituere recusantibus, sive differentibus sub quoquo praetextu, nostroque Fisco, et Camerae, eas incorporandi, et confiscatas declarandi, et deinde vendendi, donandi, et tradendi, sive in emphyteusim, sive in dominium, et proprietatem alijs nostris subditis non forensibus eas restituere, et conservare volentibus; prout eisdem Officialibus, pro decentia, ornatu, et conservatione dictorum locorum magis expedire videbitur. Liberantes ex nunc eosdem Officiales ab omni Syndicatu, praeterquam volumus, illos non solum obligatos esse reddere rationem in manibus Dominorum Capitaneorum, Procuratoris Fiscalis, et Camerarij nostri in fine cuiuslibet semestris de omnibus pecunijs, et alijs, quae ad eorum manus pervenerint, vel de eorum manibus exiverint, sed etiam infra octo dies immediate sequentes, semel, et bis inscriptis instare pro revisione suorum computorum coram Dominis Capitaneis successoribus in officio, sub

pœnis tam ipsis Dominis Capitaneis quam ipsis Officialibus, qui praedicta facere distulerint, vel neglexerint, unius scuti pro quolibet eorum, et qualibet vice, et nihilominus dicti Domini Capitanei revidere, et saldare, et dicti Officiales dicta computa infra alios octo dies sequentes reddere semper teneantur. Fractam vero, existentem circa mœnia dicti Castri Serravallis, volumus, et mandamus, per eosdem Officiales glandibus curari seminari quanto citius, silvamque in ea nascentem educari, et conservari.

Et eius ligna, sive eorum valorem per Massarios, et Vicecapitaneos dicti Castri, non posse converti in alium usum, quam ad coquendas fornaces calcis, et aliorum cæmentorum pro instauratione, et conservatione necessaria prædicti Castri. Et ut redditus, introitus, et proventus Communitatum dictorum Castrorum Serravallis, Faitani, et Montis giardini per deputatos diligenter exigantur, et fideliter, ac utiliter expendantur, et sine præiudicio dictarum Communitatum, volumus, et mandamus, quod de cetero Massarius Serravallis eligatur a Consiliarijs eiusdem loci, dummodo non sit unus de prædictis Consiliarijs.

Et quod Consiliarij dicti Castri, qui pro tempore fuerint, teneantur curare, quod eorum Massarius una cum Capitaneo dicti Castri sex mensium præcedentium, infra mensem immediate sequentem a die finiti eorum officij, compareant coram Dominis Capitaneis, Camerario, et Procuratore Fisci Terræ nostræ, ipsis Consiliarijs dicti Castri præsentibus, et rationem reddant tam ipse Capitaneus, quam Massarius, de gestis, et administratis per eos tempore eorum officij. Sub pœnis librarum decem denariorum, Communitati nostræ applicandorum, et persolvendorum pro qualibet vice, et pro quolibet ex Capitaneis Terræ nostræ qui negligens fuerit in revidendis dictis computis. Nec non unius scuti per solidum a quolibet ex Consiliarijs dicti Castri, qui non procuraverint, quod dictus Massarius, et Capitaneus in dicto tempore rationem reddant modo, et forma supradictis.

Quam pœnam unius scuti duplicatam solvere teneantur Communitati nostræ etiam dictus Massarius, et Capitaneus Serravallis pro quolibet eorum, et qualibet vice, qua defecerint, aut neglexerint dictam rationem eorum administrationis reddere infra dictum tempus. Volentes prædictum ordinem in reddenda ratione administrationis, reddituum, ac introituum observari debere etiam a Capitaneis Castrorum Faitani, et Montis giardini, nec non a quatuor Consiliarijs Faitani, et a Vicecapitaneis Montis giardini, et eorum Massarijs, et exactoribus sub præfatis pœnis.

STATUTORUM

De Conservatoribus aedificiorum pubblicorum.

Rubrica. LII.

Eligantur in Consilio generali per suffragia, et balluctas in principio cuiuslibet Capitaneatus ad propositionem Dominorum Capitaneorum, et aliorum Consiliariorum duo ex nostris Civibus Terræ Sancti Marini, in Conservatores ædificiorum publicorum.

Quorum officium, praevio eorum iuramento de illud bene, et fideliter administrando, sit revidere saltem quatuor vicibus, durante eorum officio, Arces, Portas, Fortilitia, domos custodiarum, cisternas nuncupatas de fossis, et alias nuncupatas de planello cum earum aquaeductibus, necnon mœnia, et cetera alia aedificia, tum publica tum privata Terrae nostrae Sancti Marini, et eius Mercatalis, et Plagiarum, et similiter Arcem, mœnia, et cetera alia aedificia tum publica tum privata, existentia in nostris Castris Serravallis, Faitani, et Montis giardini, eundo per omnes vicos, et contratas dictorum locorum.

Et si dicta mœnia, seu alia aedificia publica invenerint lacera, seu lapsa, et labentia vetustate, vel alia causa, possint, et quilibet eorum in solidum possit, ac debeat, ea resarciri, et restitui facere de pecunia publica, dummodo huiusmodi refectionis expensa, pro quolibet semestri, non excedat summam vigintiquinque Librarum, et si excesserit, debeant continue instare apud Dominos Capitaneos in Consilio generali pro eorum refectione, et restitutione. Possint etiam, ac debeant revidere saltem semel durante eorum officio, nostrum arsenale, molendinum a vento, necnon omnia arma, instrumenta, et munitiones bellicas Terrae nostrae, notificando Dominis Capitaneis, et in Consilio generali ea, quae invenerint deficere, vel male custodita, et instando continue pro eorum reparatione, et augumento, et praesertim pro confectione tormentorum bellicorum, pulveris, necnon coadunatione, et emptione plumbi, sulfuris, et salnitri. Debeant pariter impedire destruentes, vel devastare volentes domos existentes tum in Terra Sancti Marini, et eius Plagijs, et Mercatale, tum etiam in praedictis Castris Serravallis, Faitani, et Montis giardini, et recusantes obedire notificare Capitaneis, et Cancellario Communitatis, et instare pro salubri remedio.

Habeant quoque dicti Conservatores aedificiorum publicorum auctoritatem gerendi, et faciedi cetera alia, quae continentur in praecedenti capitulo, et in alijs decretis praesentis Statuti, etc.

De Praefectis Armamentarij.

Rubrica. LIII.

Eligantur per suffragia, et balluctas a Dominis Capitaneis, et Consiliarijs in primo Consilio generali quotannis de mense Aprilis congregando, duo Cives de Terra nostra oriundi, qui maiorem numerum balluctarum habuerint in Praefectos armamentarij nostri, quorum officium, praevio eorum iuramento de ille bene, et diligenter administrando, sit omnia arma, et tormenta bellica Reipublicae nostrae, necnon molendinum a vento, pulverem, plumbum, sulfur, salnitrum, ferramenta, ac cetera alia munitionum genera, existentia in armamentario, et sibi per inventarium consignanda optime tenere, et custodire cum onere etiam onerandi, et exonerandi aliqua de praefatis maioribus tormentis bellicis diebus Nativitatis, Resurrectionis, ac Corporis Domini nostri Jesu Christi, Festivitatum Sancti Marini Protectoris nostri, Sanctae Barbarae Virginis, et Martyris, ac alijs diebus anni, et similiter alia faciendi in signum laetitiae iuxta solitum, et consuetum et prout eisdem iniunctum, et commissum erit a Dominis Capitaneis praefatae Terrae nostrae, et non aliter nec alio modo.

Elapso vero anno, nisi confirmati fuerint per eadem suffragia, teneantur restituere, et consignare in manibus Dominorum Capitaneorum, vel aliorum eorum successorum in dicto officio praefatum armamentarium, et molendinum a vento, cum praedictis armis, tormentis bellicis, et ceteris omnibus alijs munitionibus existentibus in eis, iuxta assignationem eis factam in ingressu eorum officij, et similiter reddere rationem de omnibus administratis per eos in dicto tempore. Quae omnia, et singula dicti Praefecti observare, et dicti Domini Capitanei observari facere teneantur sub pœnis legalibus, et alijs arbitrio Consilij generalis statuendis. Habeant autem pro recognitione sui laboris privilegium deferendi de die, et de nocte omnia armorum genera, exceptis Archibusijs minoris longitudinis trium palmorum.

STATUTORUM

De Archibusijs emendis a Dominis Capitaneis, et consignandis in armamentario Communitatis.

Rubrica LVI.

Statuimus, et ordinamus quod de cetero Domini Capitanei Terrae Sancti Marini, qui pro tempore fuerint, teneantur, et obligati sint, durante eorum officio, providere pro munitione, et defensione dictae Terrae, et impensis nostrae Communitatis emere unum archibusium de illis, quae vulgariter nuncupantur archibugij a cavaletto, cum singulis suis fulcimentis, quae omnia debeant approbari pro sufficientibus, et idoneis a Dominis Capitaneis eorum successoribus, et a Conservatoribus aedificiorum publicorum, et ante finem officij eorum Capitaneatus dicti Domini Capitanei illa debeant tradidisse, et consignasse in armamentario nostro seu Praefectis eiusdem, sub pœna amittendi eorum salarium, de quo per eosdem Praefectos, et Dominos Capitaneos successores ematur dictum archibusium fulcitum, ut supra, etc.

De deposito fiendo per Dominos Capitaneos penes Massarios Sancti Marini.

Rubrica. LV.

Item pro munitione eiusdem Terrae nostrae statuimus, et ordinamus, quod Domini Capitanei qui successivis futuris temporibus erunt, ante finem eorum officij teneantur depositasse, et cum effectu solvisse libras decem denariorum de pecunia communis penes Massarios Protectoris nostri Sancti Marini pro tempore existentes, qui Massarij, et eius successores in perpetuum non possint, nec valeant dictas quantitates denariorum, apud ipsos depositatas, dare Dominis Capitaneis pro tempore existentibus, nec cuiquam alteri personae etiam de mandato eorum absque licentia Consilij generalis.

Volentes illas solummodo expendi in casu imminentis belli, vel pro munitione, et defensione Terrae nostrae.

Sub pœna eisdem Dominis Capitaneis solvendi de facto tantundem de suo proprio dictis Massarijs.

Quam pœnam similiter eisdem solvere teneantur de facto Syndicatores Dominorum Capitaneorum qui prædicta per eos observari non curabunt.

Quod Domini Capitanei non possint aedificare absque licentia Consilij generalis. Rubrica. LVI.

Ne redditus, et proventus nostræ Communitatis expendantur per Dominos Capitaneos ad eorum libitum, absque urgenti necessitate, et utilitate Terræ, et universi Populi nostri, statuimus, et ordinamus quod de cetero Domini Capitanei, qui pro tempore fuerint, non possint, absque licentia per suffragia, et balluctas obtenta in generali consilio a maiori parte Consiliariorum ædificare impensis Communis, nisi usque ad summam scutorum decem pro quolibet semestri, sub pœna solvendi de facto tantundem de eorum proprio. Et in dictis ædificijs publicis, summam scutorum decem non excedentibus, non possint apponere eorum nomina, et insignia, etiam impensis proprijs, nisi id eis specialiter fuerit indultum a generali Consilio sub pœna arbitrio Consilij statuenda, etc.

De custode Horologij Planelli.

Rubrica. LVII.

Eligatur a Dominis Capitaneis, et Consiliarijs eodem modo, et tempore, quo Præfecti armamentarij, unus magister, sive artifex habitator, et incola Terræ nostræ in custodem horologij Communitatis existentis in Turri Palatij Communis, apud plateam nuncupatam planellum, cuius sit cura temporandi sive moderandi, et custodiendi dictum horologium iuxta eius scientiam, et secundum consuetudinem aliorum custodum, et similiter reaptandi impensa pubblica horologium arcis maioris, quando foret ruptum, et devastatum, absque aliqua alia solutione eius operis, cum salario, et mercede deputanda arbitrio Dominorum Capitaneorum sibi persolvenda per bullectas a Communitate pro medietate in fine cuiuslibet semestris, dummodo non excedat libras viginti. Et elapso anno dictum horologium bene accommodatum resignare teneatur in manibus alterius eius successoris a præfato Consilio electi, nisi ipsemet foret confirmatus modo, et forma præmissis, etc.

De locatione Salis venalis.

Rubrica. LVIII.

Ad conservandos, et augendos redditus Communitatis nostræ volumus, et mandamus quod Domini Capitanei semper, tempore novæ locationis salis venalis, debeant publicari facere per nostrum tubicinem in tribus diversis mercatis, sono tubæ præmisso, quod cura vendendi salem, in Terra, et Territorio nostro iuxta capitula conficienda per dictos Dominos Capitaneos, et alios semper deputandos a generali Consilio locabitur offerentibus, et solventibus maius praetium Communitati nostrae cum præfixione diei, et horæ dictæ locationis faciendæ, qua hora adveniente Domini Capitanei existentes in Palatio eorum solitae residentiæ ubi ius reddi solet, præsentibus illis, qui curam huiusmodi ambibunt, et affectabunt accenso lumine, sive candela ceræ, alta et intelligibili voce per eorum Cancellarium legi facient capitula ab eisdem, et supradictis electis ad id formata, quibus lectis, et factis oblationibus per huiusmodi curam conducere volentes, eam locabunt illi, vel illis, qui maius pretium Communitati, et maiorem quantitatem salis pro singulo bononeno emere volentibus, necnon idoneum fideiussorem, de prædictis observandis, dare promiserint ante extinctionem dicti luminis, et candelæ. Inter quæ capitula dicti Domini Capitanei, ac alij deputati apponere teneantur, quod dicti conductores salis sint obbligati, infra tres menses, a die locationis inchoandos, eorum impensis, procurare, et obtinere ab Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Camerario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ litteras, et Patentes Camerales declaratorias similes alijs iam obtentis ab alijs dicti salis conductoribus, quae sunt in Archivio nostro, et in omnem eventum nunquam se describi facere, vel permittere in quibuscunque libris vendentium eisdem salem pro salinarijs, vel sub nomine salinariorum, et conductorum salis Communitatis Terræ Sancti Marini, sub pœna amissionis salariæ, et alijs arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consilij statuendis. Et quatenus aliter ab eis factum foret, ultra prædictas pœnas, ex nunc prout ex tunc, id totum annullamus, et pro nullo, et infecto, quo ad Communitatem haberi volumus, et mandamus. Volentes quod prædicti conductores salis possint illum emere ubi voluerint, et a quocunque Principe Ecclesiastico, vel Sæculari cum meliori conditione vendente, sed non possint illum vendere forensibus, et nobis non subditis, sub pœna ducatorum decem pro qualibet

salma, et bononenorum decem pro qualibet libra toties quoties. Et ut dicti conductores facilius alliciantur ad dictam conductionem, et alijs iustis causis suadentibus, volumus, et mandamus, quod nemo de districtu, et iurisdictione Terræ nostræ audeat emere salem extra Territorium eiusdem Terræ nostræ ab aliquo salinario extra districtum nostrum sub pœna ducatorum decem pro qualibet salma, et bononenorum decem pro qualibet libra salis toties quoties, etc. applicandorum Cameræ Communis nostræ Terræ de facto, etc.

De duobus officijs uno, et eodem tempore non retinendis nec exercendis. Rubrica. LIX.

Statuimus, et ordinamus, quod nemo possit aut debeat in Terra nostra habere, aut exercere uno, et eodem tempore duo officia, quamvis forent inter se compatibilia, sed quicunque habens officium, qui extractus fuerit ad aliud, debeat se in primo exercere, et breve eius, extractum posteriori loco ad aliud secundum officium reponatur per Dominos Capitaneos in bussulo, præterquam si breve, posteriori loco extractum, contineret officium Capitaneatus Terræ nostræ Sancti Marini quia tunc, et eo casu volumus, talem nominatum in dicto posteriori breve exercere officium Capitaneatus, et aliud officium, quod habebat, vel ad quod fuerat extractus, prius deponere, et a se abdicare sub pœna Scutorum decem in casu contraventionis huic decreto, et pro qualibet vice. Declarantes ad officia Praefectorum Archivij, et Notarij bonorum emphyteoticorum praesens statutum non extendi, quia eis non obstantibus, ac alijs quibuscunque volumus illos quodlibet aliud officium eodem tempore una cum eis retinere, et exercere posse.

De auxilio, et favore dando Dominis Capitaneis, et alijs Officialibus communis. Rubrica. LX.

Statuimus, et ordinamus ad hoc ut Capitanei, et officiales Communis Sancti Marini sint solliciti, ferventes, et audaces in eorum officio exercendo, quod Commune, et homines Sancti Marini, et eius Curiae, et destrictus teneantur dictis Dominis Capitaneis, et Officialibus dare auxilium, et favorem in omnibus eisdem necessarijs, opportunis, ac utilibus, et de quibus ipsi Domini Capitanei, et Officiales, pro dicto eorum officio exercendo, requirent perso-

nas speciales, vel commune. Et quilibet requisitus, qui inobediens fuerit, puniatur qualibet vice pœna in praecepto ei facto contenta, vel arbitrio Consilij duodecim in defectu pœnae praecepti, etc.

De interpretatione statutorum, vel reformationum.


Rubrica. *LXI.*

Quoniam statuta interpretationem non recipiunt aliquo modo, et ex eorum verbis interdum litigia suscitantur, statuimus, et ordinamus quod ubicunque statutum, vel reformatio loquerentur in masculino genere intelligantur etiam in feminino, dummodo illud, quod in statuto continetur, sexui conveniat muliebri, et si loquantur in plurali, intelligantur etiam in singulari, etc.

De decretis, et reformationibus ponendis in libro statutorum Communis per Notarium, sive Cancellarium Dominorum Capitaneorum. *Rubrica.* *LXII.*

Statuimus, quod reformationes, et alia decreta, quae in futurum a nostro magno, et generali Consilio fieri contigerit, debeant scribi per Notarium Dominorum Capitaneorum, qui pro tempore fuerit in officio, et poni, ac registrari in forma publica in volumine statutorum Communitatis, ut a quolibet legi, et videri possint. Et si dictus Notarius hoc non perfecerit ante exitum sui officij, solvat de facto pro pœna Camerario communis scutum unum pro qualibet vice, et huiusmodi reformationes, et decreta serventur, ut omnia alia statuta, et vim statutorum obtineant, etc.

FINIS LIBRI PRIMI.



LIBER SECUNDUS

CIVILIUM CAUSARUM

De Iurisdictione, et Officio Dominorum Capitaneorum in civilibus. Rubrica. I.

Statuimus, et ordinamus, quod Domini Capitanei Terrae Sancti Marini, qui pro tempore dictum officium exercebunt, sint, et esse intelligantur Iudices ordinarij primarum causarum quarumcunque civilium, quae quomodocumque, et qualitercumque, et quacumque ratione, vel causa verterentur, et essent, tam inter singulares personas, quam Communitates, universitates, vel collegia, sive vicissim inter eos, sive etiam inter forenses, et incolas, ac abitatores dictae Terrae, et eius Territorij, Comitatus, et districtus, qui quomodocumque a forensibus convenirentur, ac etiam inter forenses, qui in dicta Terra, et eius Territorio, Comitatu, et districtu contraxerint vel quasi. Quorum omnium contrahentium, seu quasi, ratione quorum in ipsa Terra, et eius Territorio, Comitatu, et districtu agere, seu conveniri contigerit, Iudices ordinarij, ut supra, Domini Capitanei existant: cum auctoritate cognoscendi, terminandi, et sententiandi, sententiasque ipsas debitae executioni demandandi, tam per eos latas, quam per eorum in officio praecessorum, quam etiam

sententias, sive arbitria, ac arbitramenta, et lauda quaecunque arbitratorum, et arbitramentorum. Nec non etiam mulctandi, et puniendi omnes, et singulos eis non obtemperantes in iis, quae ad eorum spectant officium, et quae ad cognitionem, et expeditionem causarum civilium fuerint opportuna.

De recusatione, et suspicione Dominorum Capitaneorum.

Rubrica. II.

Quia autem quandoque diversis causis Capitanei praedicti tanquam Iudices, ut supra, constituti uti suspecti recusantur, licet divisim, et insolidum, eis iurisdictio competat, statuimus, et ordinamus, quod coram Dominis Capitaneis comparentes quicunque sive actoris sive rei partes substineant, non valeant ambo Capitaneos, ut suspectos, recusare, ex quacunque causa recusationis, etiam iure communi approbata, sed uno legitime recusato, coram altero causam sive civilem, sive criminalem cuiuscumque generis, et qualitatis prosequi teneantur, nisi in quolibet Dominorum Capitaneorum cadat maxima quaedam, et quasi notoria suspicio, de qua tunc stari volumus declarationi Consilij duodecim virorum Terrae Sancti Marini.

Qui Consiliarij omnes, vel maior pars ipsorum pro eorum libito, et voluntate dictas suspiciones, recusationes, et exceptiones declinatorias iurisdictionis reijcere possint, si eis aequum visum fuerit, alias ad eorum libitum, et voluntatem possint adiungere, eligere, et deputare unum adiunctum, qui una cum ambobus Capitaneis, vel secundum declarationem ipsorum Dominorum Consiliariorum de dicta suspicione declarantium una cum Capitaneo minus suspecto, altero magis suspecto penitus remoto, causam ipsam cognoscat, terminet, et decidat.

De quibus suspicionibus, recusationibus, et declinatione iurisdictionis stetur, ut dictum est, Consilio duodecim prædicto, quacumque appellatione etiam iusta, et non frivola, et alio recursu penitus remotis, etc.

De citationibus, et modo citandi in causis civilibus.

Rubrica. III.

Cum iudicia principium assumant ab ea parte quam Praetor de in ius vocando edixit: ideo statuimus, et praesenti statuto firmamus, quod agere, vel experiri intendens mere civiliter, vel mixte teneatur coram Dominis Capitaneis Terrae nostrae Sancti Marini, seu altero ex eis, eum contra quem agere, vel experiri intendit, citari facere modo, et forma infrascriptis, videlicet

Si fuerit reus habitator Terrae nostrae praedictae, vel eius Comitatus, et districtus, vel forensis, et ibidem repertus, eundem citari facere personaliter una hora pro alia iuridica, et sufficiat.

Si vero personaliter citatus non fuerit, eumdem reum citari faciat alia citatione pro secunda personaliter, vel domi eius solitae habitationis, et una similiter hora pro alia iuridica. Ita tamen quod ambae citationes sint contiguae, nec cum intervallo maiori, quam unius diei inter unam, et aliam.

Nec dictae duae citationes si ambo domi factae reperirentur, una, et eadem die fieri possint.

Si vero ipse reus conventus, vel conveniendus, forensis vel non habitator Terrae praedictae, Curiae, et Comitatus, ac districtus ipsius existeret, hoc casu actor ipse eumdem reum citari facere teneatur duabus vicibus ad fenestras vel ad valvas Palatij, seu Domus Communis dictorum Dominorum Capitaneorum ubi ius reddunt, per publicum Plazarium dicti communis, alta, et intelligibili voce, vel per edictum, assignando dicto absenti, et citato in qualibet citatione terminum competentem ad comparendum, et respondendum, arbitrio eorumdem Dominorum Capitaneorum terminandum, et statuendum considerata distantia loci habitationis ipsius rei, ita quod citatio ipsa ad notitiam conventi, et rei citati vero similiter possit pervenire, et idem reus commode possit comparere.

Et si idem reus tam terrigena, vel habitator, quam forensis unus, vel plures reperti fuerint in iudicio coram Dominis Capitaneis pro tribunali sedentibus ad iura reddenda, et ipse actor suam fecerit, produxeritve petitionem, actor ipse audiatur, et reus ipse praesens respondere, et sua iura allegare teneatur, non obstante, quod citatus non fuerit modo, et forma praedictis. Et huiusmodi citationes valeant, et teneant, et plenissimam obtineant firmitatem, dummodo saltem unus ex Capitaneis ibi reo reperto, et praesenti, etiam non citato, praeceperit de non recedendo, et si recesserit, ut contra

contumacem procedi possit per actorem. Et haec forma citandi vindicet sibi locum in primis citationibus eorum qui amplius, et nunquam ex eadem causa fuerint in iudicio. In alijs vero citationibus fiendis in processu causae unica tantum sufficiat citatio, vel personalis, vel domi, vel ad fenestras secundum casuum varietatem, et personarum de quibus supra fit mentio.

De modo, et forma procedendi in hereditate iacente.

Rubrica. IV.

Statuimus, et ordinamus, quod quisque agere intendens contra hereditatem iacentem teneatur omnes, et singulos generaliter citari facere, qui hereditatis praedictae se heredes esse praetendent, seu alias quomodocumque sua putaverint interesse, quatenus infra terminum arbitrio dictorum Dominorum Capitaneorum statuendum considerata ut supra locorum distantia, debeant coram ipsis Dominis Capitaneis, vel eorum altero comparere ad hereditatem adeundam, vel ad dicendum, et contradicendum quicquid volunt, et possunt, quare non debeat procedi ad dationem curatoris hereditati praedictae, quae citatio fieri debeat ad fenestras Palatij Communis, vel per edictum ad easdem valvas Palatij affigendum duabus vicibus continue absque ullo intervallo diei iuridici.

Quibus citationibus, sic ut praefertur, factis, reus pro legitime citato in omnibus dictis casibus habeatur: ita ut contra ipsum sic citatum, et non comparentem, possit tanquam contra contumacem, accusatis contumacijs, ad ulteriora procedi, videlicet ad dationem Curatoris praedicti, qui de proximioribus defuncti esse debebit, et si proximiores praedicti non reperirentur, tunc is sit, et esse debeat, quem maior pars creditorum elegerit. Qui quidem Curator praedictus inventarium bonorum omnium hereditatis iacentis praedictae conficere teneatur, et pro suo salario, et mercede habeat si Curator extiterit per annum, vel ultra, sex denarios pro qualibet libra valoris totius hereditatis, si vero minori tempore extiterit Curator habeat pro suo salario praedicto dimidiam partem tantum salarij praedicti.

Nisi forte reus, et heres postea comparens allegaverit, et probaverit iustum, et legitimum impedimentum, quo casu iudicium cum Curatore agitatum usque ad tempus illud valeat, et teneat, et ab inde in posterum, cum ipso herede prosequatur, et ipsius Curatoris officium finitum esse intelligatur. Et hoc nisi apparuerit de collusione facta cum dicto Curatore

tacite, vel expresse, qua collusione probata totum iudicium reddatur nullum. Curator autem ipse in principio suae administrationis solemniter iurasse debeat ad Sancta Dei Evangelia manu corporaliter tactis scripturis se bene, et legaliter gerere debere, et dictam hereditatem, eiusque bona administrare, et utilia facere, et inutilia praetermittere, et in fine rationem administrationis fideliter reddere cum reliquorum restitutione, etc.

De modo procedendi in causis civilibus summam librarum decem non excedentibus.

Rubrica. V.

Breviores, minimaeque civiles causae, videlicet librarum decem denariorum summam non excedentes, citato reo, ut supra, tractari, cognosci, et expediri possint, et debeant coram Dominis Capitaneis antedictis, sive ipsorum altero, et per ipsos summarie, de plano, sine strepitu, et figura iudicij, absque libello, et ulla litis contestatione, et absque ullo iuramento calumniae, alijsve iudiciorum ordinibus, solemnitatibus, et substantialibus, sive reus comparuerit, sive non. Et tales causas possint Domini Capitanei praedicti decidere per iuramentum ab eis deferendum, sive actori, sive reo, et cui ipsorum magis eis videbitur, et placuerit, verisimiliora attendendo, et personarum qualitate considerata. Et si altera pars pro causae decisione alteri parti detulerit iuramentum super veritate intentatorum, et propositorum, teneatur pars cui tale iuramentum fuerit oblatum iurare, vel iusiurandum offerre, alias malam causam, et iniustam habere praesumatur, et pro confesso habeatur, et in totum a causa cadat. Capitanei vero qui praedicta non servaverint in poenam dupli quantitatis, et valoris rei praedictae per eorum successores Communi condemnentur.

De abbreviatione litium, et modo procedendi in causis civilibus.

Rubrica. VI.

Ut vero nostrae Reipublicae subiecti ab ijs subleventur laboribus, et incommodis, quae longa solent afferre litigia, cordi nobis est partium subterfugia, et supervacuas dilationes amputare.

Iubemus igitur de cetero ordines, et decreta infrascripta inviolabiliter observari, et in contravenientes pœnis quæ in eisdem loco

V

suo specialiter indictae sunt, animadverti, legibus, statutis, consuetudinibus, ceterisque contrarijs non obstantibus.

Et primo. Quod Iudices sedere debeant in loco iuris solito, singulis diebus iuridicis non feriatis in honorem Dei ex praecepto Ecclesiae vel Praelati, aut in utilitatem hominum ex dispositione statutorum aut decretorum Sanmarinensis Reipublicae, et in eodem loco congrua hora ferre sententias.

Quod omnes causae sint summariae, et in eis procedatur visa tantum veritate, et non servata forma telæ iudiciariæ.

Quod propterea libellus fieri non debeat solemnis, et si solemnis fuerit conceptus vim habeat dumtaxat simplicis petitionis, neque dici possit ineptus ubi facti substantialia contineat, etiam in modum supplicationis.

Quod reo copia detur huiusmodi petitionis volenti, sumptibus suis, cum termino quinque dierum utilium ad respondendum, et excipiendum: declarantes, generales exceptiones, absque alio, semper oppositas intelligi, et replicatas.

Quod copia exceptionum actori petenti decerni debeat cum termino duorum dierum utilium ad respondendum, et non amplius, et responsione facta, novus terminus partibus dari non debeat ad replicandum, sed replicationes fieri possint cum actis, et productione aliarum scripturarum, quæ in procedendo ad ulteriora venirent proponendæ.

Quod actor nostræ iurisdictioni non subiectus qui iuris communis, aut statuti dispositione coactus esset præstare fideiussionem de prosequenda lite, et de reficiendis expensis in casum succumbentiæ, debeat tanquam forensis, affirmans iureiurando non invenire fideiussorem, admitti ad iuratoriam cautionem, dummodo reconventus non fuerit, quo casu satisdare teneatur iuxta formam iuris communis, aut municipalis. Nisi tamen huiusmodi reconventio affectata Iudici videretur, et propterea dumtaxat ad impediendum actorem ne posset huiusmodi cautionis privilegio potiri.

Quod omnes exceptiones qualescunque sint, et omnia quæ ab officio Iudicis manare possent, reservata intelligantur absque alia interlocutoria, in fine litis decidenda una cum negotio principali, præter illas incompetentiæ, suspicionis Iudicis, transactionis, litis finitæ aut pendentis coram alio Iudice, et mandati. Quibus exceptis, cæteræ omnes similes exceptiones reservatæ sint, et pro reservatis habeantur.

Quod cognitio incompetentiæ aut suspicionis Iudicis pertineat ad generale huius Reipublicæ Consilium dumtaxat, et non ad alios.

Quod una aut pluribus oppositis exceptionibus non reservatis ut supra, detur terminus quatuor dierum utilium commu-

nium utrique parti ad probandum incumbentia super illis, quarum articulum Iudex infra terminum aliorum quinque dierum utilium decidere teneatur.

Quod si Iudex fuerit interlocutus actorem, aut reum legitimum non habere mandatum, teneatur illius defectum in eius pronuncia exprimere. Et eo casu acta quæ antea gesta fuerunt valida remaneant, nec ab huiusmodi interlocutoria liceat appellare. Veruntamen ubi pars vellet adhuc prosequi litem, debeat Procurator novum producere mandatum reformatum iuxta tenorem pronunciæ; a lite vero desistens, parti expensas reficere teneatur.

Quod terminus probatorius unus, aut plures, partibus assignentur arbitrio Iudicis, qui tamen metam quindecim dierum utilium pro prima, secunda, et tertia dilatione non excedant. Quos etiam abbreviandi auctoritatem Iudici impertimur ex causa per ipsum exprimenda in pronuncia.

Quod ultra terminos suprascriptos probatorios concedi debeant litteræ examinatoriæ ijs qui longinquos testes haberent, in casibus a iure permissis, recepto prius iuramento a parte instante, quod litteræ non fuerint calumniose petitæ, terminumque eidem unius diei assignando pro quolibet vigesimo milliare a loco distante, tam in eundo quam in redeundo.

Quod ubi in progressu causæ apparebit litteras supradictas fuisse calumniose petitas, Iudex in hoc casu condemnare debeat partem quæ illas petijt in medietatem valoris rei, de qua lis est. Ita tamen quod in omnem casum summam aureorum quingentorum non excedat. Quod si res non reciperet æstimationem, in pœnam aureorum quinquaginta, fisco Reipublicæ pro medietate applicandorum, et pro alia medietate parti, contra quam litteræ productæ fuerint. Et præterea ad refectionem damnorum, ac interesse quæ passa fuerit. Et ubi contigissent culpa Procuratoris, huiusmodi officio, ut supra, privetur, et teneatur reficere damna, ac interesse.

Quod Iudex tam primae instantiae quam secundae ex officio suo refrenare possit, ac reijcere capitula, positiones, et interrogatoria impertinentia, quae etiam per processum ad ulteriora reiecta intelligantur absque alia interlocutoria, neque ab huiusmodi progressu liceat appellare. Verum secundus Iudex errorem per se ipsum emendare possit, si quem factum a primo Iudice compererit.

Quod ubi Procurator sufficiens habebit mandatum ad respondendum positionibus, responsio principalis absentis non sit requirenda. Sin autem ex deffectu mandati, eadem responsio principalis exigenda esset, transmittantur positiones ad eumdem absentem sumptibus ponentis, nisi tamen respondere debens post motum iudicium se absentasset. Quo casu ipse ad expensas tenebitur, termino trium dierum utilium illi assignato ad respondendum po-

stquam positiones ad locum pervenerint in quo degit ipse responsurus, et unius currentis diei pro quolibet vigesimo milliare a loco distante tam in eundo quam in redeundo.

Quod petens calumniosis positionibus responderi, in pœnam centum librarum condemnetur applicandarum pro medietate parti, et pro alia fisco, nec non ad interesse partis, et si petens erit Procurator aut Advocatus in pœnam privationis officij, et similiter ad damna, et interesse partis teneatur. Quibus etiam pœnis respective plectatur respondens positionibus, si evidenti calumnia, quae notoria sunt negare ausus fuerit.

Quod compromissa quæ fierent, tam voluntaria, quam necessaria, intelligantur, et debeant durare usquequo ab Arbitris laudum fuerit prolatum sive sententia, dummodo terminus lapsus non fuerit instantiæ, quæ declaratur esse ordinaria aliarum causarum, nisi tamen partes ipsæ in compromisso illam fecissent breviorem.

Quod lapso termino probatorio, processus intelligi debeat publicatus absque alia Iudicis declaratione, et copia processus partibus petentibus decernatur cum termino quinque dierum currentium a die habitae copiae, ad concordandum, et opponendum, et quatuorum dierum utilium ad opposita probandum.

Quod terminus ad allegandum sit decem dierum currentium utrique parti.

Quod causae Notarius propria manu diem scribere debeat qua Iudici traditus fuerit processus pro illius expeditione.

Qui postea terminum habeat vigintiquinque dierum currentium ad sententiam proferendam, nec prorogari possit nisi a Consilio duodecim, et ex causa.

Declarantes Iudicem non censeri muneri suo in expediendo causam iuxta praescriptum sibi terminum satisfecisse, quoties reum ab observatione Iudicij absolveret extra casus a iure permissos.

Quod sportulae Iudici non debeantur tam in civili causa quam in criminali nisi ab actore, et reo forensibus degentibus extra iurisdictionem Sanmarinensem, vel in causis delegatis, quae tamen iure ordinario ad Iudicem tam in prima, quam in secunda instantia non devolvantur aut quando Iudices electi a partibus, aut delegati a Consilio generali, Officiales stipendiati, et publici non essent.

Quod Iudices pro sportulis in civilibus causis usque ad summam quinquaginta aureorum habeant unum aureum, usque ad summam centum scutorum, aureos duos, usque ad quingentos, aureos quinque, et pro qualibet maiori

summa aureos decem. In executivis, et summarijs de iure communi, medietatem habeant taxae suprascriptae.

In alijs vero quae certam summam non continerent, aut quae non reciperent aestimationem, aureos quinque. Pro interlocutorijs vero habentibus vim diffinitive, sportulae non excedant summam duorum aureorum.

Declarantes eas non deberi in executivis, si semel eidem Iudici in articulo principali solutae fuissent.

Quod in causis criminalibus, in quibus solum agitur de pœna pecuniaria, observentur quae supra in civilibus sancita fuerunt.

In capitalibus vero de iure communi, aut municipali, sportulae sint aureorum decem. In alijs vero in quibus venirent imponendae pœnae corporales a decretis, aut statutis nostris, etiam capitales, aureorum quinque.

Quae taxa in quibuscumque casibus supradictis excedi non possit, quamvis causa plura, ac diversa capita in se contineret, et plures essent actores, et rei, eiusdem instantiae. Ubi vero plures Iudices intervenirent, solutio tam in civilibus, quam in criminalibus duplicetur.

Quod in causis omnibus civilibus capita solidorum remaneant sub dispositione statuti nostri de materia loquentis.

Quod Iudex quicumque accipiendo sportulas indebitas, aut maiores quam superius taxatae fuerint, teneatur qualibet vice ad pœnam dupli pro medietate fisco applicanda, et pro quarta executori, necnon ad simplum parti restituendum.

Quod elapso termino instantiae a nostris statutis praescripto, intelligatur absque alia pronuncia, perempta. Neque actor audiri possit nisi rescripto generalis Consilij, et refectis expensis. Et ubi culpa Iudicis esset perempta, liceat contra ipsum agere ad damna, ac interesse, ut etiam contra arbitros, et arbitratores qui in hoc defecissent.

Quod Procuratores teneantur sub pœna privationis officij, et ammissionis salarij allegare peremptionem instantiae terminis statutarijs elapsis, nec per se ipsos possint huiusmodi supplere defectum.

Quod appellari non possit a quavis interlocutoria mera, neque dici de nullitate ubi allegatum gravamen reparari posset in diffinitiva.

Nec admittatur appellatio ab interlocutoria frivola aut calumniosa, quod si fuerit admissa, temerarius appellans pœna vigintiquinque librarum puniatur, camerae nostrae libertatis applicandarum.

Et si fuerit Procurator, pœna illi adijciatur suspensionis officij ad nostri generalis Consilij beneplacitum.

Si tamen huiusmodi appellatio talis a secundo Iudice declarata

fuerit. A qua declaratione appellari non possit, sed tantum ad idem generale Consilium recurri, pro revisione petenda.

Quod in causis appellationum nostra observentur specialia statuta circa tempora ad interponendum, et introducendum, iustificandum, et impugnandum, et ad prosequendum appellationem, et in casibus a statutis omissis iuris communis dispositio debeat servari.

Quod in causis civilibus procedi debeat ad ulteriora quamvis in progressu parte instante criminales fierent, praestita tamen per actorem idonea fideiussione in formam depositi de restituendo idem quod in civili iudicio consecuturus esset una cum expensis, casu quo in criminali succumberet.

Quod appellationes a sententijs latis in causis collectarum publicarum, viarum, pontium, fluminum, alimentorum futurorum, mercedum quotidianarum, et natura similium, executionem non retardent, sed pariant effectum tantum devolutivum.

Quod per exceptionem appellationis non devolutae causae cursus retardari non debeat, neque per processum ad ulteriora reiecta intelligatur huiusmodi exceptio, sed eius declaratio quando fieri debeat in arbitrio Iudicis remaneat.

Quod executiones conformium, aut earum sententiarum, quae transitum fecissent in rem iudicatam retardari non debeant praetextu restitutionis in integrum, compensationis crediti illiquidi, retentionis melioramentorum illiquidorum, aut similium, praestita tamen ab eo, qui executionem petit, idonea fideiussione de reponendo omnia in pristinum, casu quo sententia revocata esset, liquidato credito partis, et probatis melioramentis.

Quod illi qui hereditatem adire volunt cum beneficio legis, ac inventarij, tempus quindecim dierum habeant praescriptum ad deliberandum, et ad faciendum inventarium bonorum existentium in loco, ubi iudicium agitur, pro alijs vero extra, habeant ulterius diem unum pro quolibet vigesimo milliare tam in eundo quam in redeundo, et ad huiusmodi validitatem sufficiat praesentia unius Notarij, qui de ipso rogetur cum duobus testibus. Ita tamen ut omnia in eo apponantur, quae notari debent, et citatio nominatim omnium creditorum, et legatariorum, qui certi erunt. Incertorum vero per edictum ad valvas Palatij Iudicis absque alia iuris solemnitate, et ex huiusmodi beneficio, heres nullum aliud commodum consequi valeat, ac utilitatem, nisi quod ultra vires hereditarias teneri non debet, neque aliud insolutum dare creditoribus quam bona hereditaria iuxta dispositionem in hac specie iuris communis.

Quod nullus possit iurari suspectus pro summa minori decem

aureorum, et nisi prius actor iureiurando coram Iudice affirmaverit habere debitorem pro tali, necnon quod in loco, sui fori non possideat bona libera usque ad sui crediti quantitatem. Facta autem retentione, ubi reus fideiussionem praestiterit de stando iuri, et solvendo iudicatum, statim relaxari debeat.

Sin autem fideiussionem praestare non potuerit, terminus actori assignetur quinque dierum utilium ad probatum habendum creditum suum, et ad habendum iustificatas causas, quas proposuit suspicionum ad capturam obtinendam. Quo termino lapso, Iudex sententiam ferre debeat, et ubi invenerit capturam esse factam absque requisitis superius, aut illis non bene iustificatis (licet iuramento vallatis) teneatur eam declarare nullam, licet de credito constaret, et actorem condemnare ad reficiendum parti expensas, damna, ac interesse.

Quod praemissae omnes provisiones observari debeant in causis pendentibus in ijs sane terminis, qui qualitati causarum convenient.

Quod termini ab huiusmodi decretis praescripti cuilibet actui inviolabiliter observentur, nisi breviores speciali dispositione statutorum nostrorum fuissent praefixi. In quibus casibus pro celeri causarum expeditione eadem statuta volumus observari, etc.

De modo procedendi quando de debito apparet publicum instrumentum, aut testamentum, aut alia ultima voluntas. Rubrica. VII.

Pacta, et conventiones praecipue in publicam formam redacta servari debere naturalia, et civilia iura exclamant, studioseque agendum est, ut ea, quae promissa sunt, operae compleantur. Idcirco praesenti statuto firmamus, et ordinamus quod si quis coram Dominis Capitaneis debitorem suum quemcunque convenerit, et ab eo aliquam quantitatem, vel rem certam ex quacunque causa legitima petierit, et instrumentum publicum produxerit non abolitum, non cancellatum, neque in aliqua sui parte vitiatum, continens promissionem, vel ipsius quantitatis, seu rei petitae obligationem, Domini Capitanei copiam petitionis, et instrumenti reo convento decernant, et ei terminum statuant quinque dierum utilium a die datae, vel oblatae copiae computandorum ad opponendum, et probandum contra dictum instrumentum, et ipsum creditorem omnes exceptiones sibi quomodolibet competentes, vel quae aliquo modo competere possint contra ipsum instrumentum productum, et creditorem antedictum.

Quod si infra dictum terminum non opposuerit, et opposita non probaverit, ad solutionem tunc huiusmodi debiti, et rei petitae, praedictus debitor realiter, et personaliter ad voluntatem creditoris constringatur, donec ipsi creditori fuerit plene satisfactum de quantitate petita, et de expensis legitime factis. Et praedicta sibi locum vindicent, sive petat ille cui facta est promissio, vel obbligatio, quae continetur in instrumento ipso, sive eius heredes, vel universales successores, sive et iura cessa habens ab eo, et sive petat contra promissorem, et obligatum in instrumento, sive contra eius heredem, vel universalem successorem, vel particularem in quota pro rata. Et si ipse creditor maluerit pro contumacia debitoris tenutam sibi dari, sive alio modo, et causa uti, quam via personalis capturae, tunc ostenso publico instrumento debiti, in ipsa tenuta danda, et vendenda, et retinenda procedatur, et servetur forma statuti loquentis de modo procedendi in causis civilibus contra contumaces, et de tenutis dandis, et observandis. Quae omnia in praesenti statuto contenta non vindicent sibi locum in contractibus mutui, vel depositi Iudaeorum, vel usurariorum manifestorum, et qui sint manifesti usurarij per publicam famam per quatuor testes comprobandam edoceri sufficiat. Volumus insuper, et ordinamus, quod praedictus modus procedendi observetur, et sibi locum vindicet, etiam quando petitur executio sententiae, vel laudi, si hoc voluerit creditor, et etiam quando per heredem, vel fideicommissarium, vel institutum, vel substitutum, vel eorum heredem aliquid ex testamento, vel alia ultima voluntate petitur, de qua, seu quo publicum testamentum per instrumentum appareat. Et si per agentem dubitaretur pro quota, et quanta parte quis esset heres, possit per ipsum super hoc interrogatio fieri, cui per conventum debeat responderi, et per agentem probari, sine libello, litis contestatione, et iuramento calumniae, vel alia iuris solemnitate. Per hoc tamen non negamus, quin heres scriptus uti possit beneficio l. fin. C. de edict. Divi Adri. Toll., qui si uti voluerit, tunc iura communia observari volumus.

De praeceptis in confessos fiendis.
Rubrica. VIII.

STATUIMUS, et ordinamus, quod si quis in iudicio coram Capitaneis ad petitionem sui creditoris, vel Procuratoris eiusdem confessus fuerit debitum, quod ab eo petitur, Domini Capitanei teneantur, et debeant incontinenti eidem confesso praeceptum facere, quod, infra terminum eorum arbitrio ei assignandum, personarum conditione, et debiti quantitate, ac qualitate

inspecta, solvere debeat, ita tamen, ut terminus praedictus decem dierum spatium non excedat.

Apponendo expressam pœnam in dicto praecepto debitori non solventi facto eorum arbitrio, quam irremissibiliter ab eodem exigere teneantur, si praecepto ipso non paruerit, ubi per creditorem fuerit accusatus, et nihilominus debitor ipse ad solvendum suo creditori compellatur.

Declarantes quod huiusmodi praeceptum post triennium pro nullo, et nullius roboris, et momenti, et penitus pro circumducto habeatur, remanentibus tamen firmis iuribus ipsorum creditorum.

De executione praeceptorum.

Rubrica. IX.

Quia iura prohibent quaestionem ex quaestionibus oriri, statuimus, et ordinamus quod praecepta facta, ad aliquam pecuniarum quantitatem persolvendam, vel aliquid aliud ad alterius petitonem faciendum, debitae mandentur executioni ad eorundem instantiam, ad quorum petitionem facta sunt, contra illos, contra quos emanata fuerunt, vel suos heredes, debitore ipso, vel eius heredibus semel tantum citatis, cogendo etiam personaliter debitorem ipsum, vel eius heredes, et pronunciando, absque ulla libelli oblatione, vel alia iuris solemnitate, viso praecepto producto, tenutam ipsi creditori esse dandam de bonis debitoris ad electionem ipsius creditoris.

Habeat tamen reus, si comparendo hoc petierit ante omnia, terminum quinque dierum ad opponendum dicto praecepto, contra quod tamen opponi non possit nisi exceptio falsitatis, et solutionis in totum, vel in partem, vel alterius liberationis, transactionis, rei iudicatae, compensationis alterius debiti, quod per publicum probetur instrumentum, vel praescriptionis.

Quam, vel quas reus ipse intra dictum terminum opponere, et probare teneatur, et super ijs, vel earum altera Domini Capitanei in cognoscendo, et decidendo summarie, sola facti veritate inspecta, procedant.

Quod si reus ipse eam, vel eas opposuerit, et non probaverit in solidis viginti denariorum Camerae Communis condemnetur, et creditori legitimas expensas, damna, et interesse reficiat. Aliae autem exceptiones, tanquam vanae, et frivolae non admittantur.

STATUTORUM

De modo procedendi in executione scripturae privatae, et quam vim habeat.

Rubrica. *X.*

Statuimus, et ordinamus, quod scripturae privatae contra scribentem propria manu, et eius heredes, et successores habeantur in omnibus, et per omnia pro publico, et autentico instrumento, tam quo ad executionem ipsius fiendam ad petitionem illius, cuius interest, vel eius Procuratoris, quam quo ad probationem iurium ipsius in ijs quae in ipsa scriptura continebuntur, etiam si nulla fuerit in ipsa scriptura expressa causa confessionis, seu obligationis: dummodo tamen fuerit saltem ab ipso scribente subscripta, et legitime recognita, et factum, seu gestum, confessionem, seu obligationem ita clare contineat, quod ex ea veritas ipsa innotescere possit.

Nec contra eam aliae possint opponi exceptiones, quam quae sint contra publicum, et authenticum instrumentum, et contra praeceptum, seu laudum, et sententiam concessae, et si opponantur, auctoritate praesentis Statuti, pro nullis, frivolis, et frustratorijs habeantur.

Et si forte contigeret per ipsum scribentem in iudicio negari illam fuisse propria ipsius manu scriptam, tunc facta litterarum comparatione per duos Notarios Terrae Sancti Marini per ipsos Dominos Capitaneos eligendos, de facto, nulla iuris solemnitate servata, si ad relationem ipsorum Notariorum, ipsis primo praestito iuramento, de bene, et fideliter referendo, dixerint, et asseruerint scripturam illam manu propria ipsius, contra quem producta fuerit, scriptam fuisse, nullam habeat scribens praedictus exceptionem contra ipsam scripturam, et propterea personaliter retineri possit ad voluntatem creditoris usque ad integram solutionem contentorum in ipsa scriptura, et expensarum legitime factarum, et centum praeterea solidorum Communi nomine pœnæ persolvendorum.

Idem dicimus de heredibus, et successoribus ipsius scribentis negantibus, qui vigore dictae scripturae obligati essent, dum tamen ipsis trium dierum terminus assignetur ad consulendum, et se informandum, et deliberate respondendum super huiusmodi scriptura.

Praedicta tamen sibi locum non vindicent in minoribus vigintiquinque annis scribentibus sine debitis solemnitatibus in contractu minorum legitime requisitis.

Et quae dicta sunt supra de scriptura manu propria scripta

habeant etiam locum in scripturis privatis manu tertiae personae scriptis duobus tamen Testibus notatis, et ab ipsis testibus recognitis, vel per litterarum comparationem ut supra legitime comprobatis.

De modo procedendi contra contumacem.
Rubrica. XI.

Ne quis possit de sua contumacia gloriari, statuimus, et ordinamus, quod si quis secundum formam statuti fuerit citatus, videlicet personaliter semel, vel bis domi suae solitae habitationis diversis diebus, et non venerit, actore tamen saltem in terminis legitime comparente, et ipsius citati contumaciam accusante, Capitanei possint, et debeant contra dictum citatum infra decem dies proxime subsequentes, si ultima dies fuerit iuridica, alias in primam proxime subsequentem iuridicam, pronunciare, ac declarare dictum reum conventum contumacem, et ob contumaciam esse debitorem in quantitate petita, et ex eo tenutam fore dandam eidem actori, de bonis ipsius contumacis, iuxta formam petitionis ipsius actoris, recepto tamen prius sacramento ab actore ipso, quod animo calumniae non petit, et quod sibi de eo, quod petit, in totum, vel in partem non extitit satisfactum.

Declarantes, quod in pronunciatione contumaciae praedictae, etiam dicta tenuta committi possit, vel subsequenter infra dictam decimam diem ad libitum Iudicis, vel Capitaneorum praedictorum.

Quae tenuta detur, et committatur per Dominos Capitaneos, et capiatur per nuncium, eius arbitrio, et electione, et non debitoris iuxta Dominorum Capitaneorum pronunciationem, de bonis ipsius contumacis, si personali actione contra eum agatur, primo quidem de rebus mobilibus, secundo de immobilibus, tertio de nominibus debitorum, iuribus, et actionibus, valentibus quantitatem, vel extimationem petitam, et tertiam partem ultra. In qua tenuta actor ipse sit in possessione causa rei servandae, et expectet per quindecim dies, si fuerit quantitas quindecim librarum, vel ab inde infra, vel res, cuius aestimatio ad dictam ascendat quantitatem.

Si vero ultra quindecim libras expectet per unum mensem, quibus elapsis diebus, reus ipse citetur ad reluendum dictam tenutam, qui si non venerit, dicta tenuta subhastetur in platea publica, dicente Praecone, vel Tubicine, quod talis res de bonis talis fuit data in tenutam tali, pro tanta quantitate:

quicumque vult ipsam emere, vel aliquid contra eam opponere intendit, compareat coram Dominis Capitaneis inde ad duos dies proximos, vel ijs similibus verbis utendo.

Quae praeconizatio tribus diversis vicibus fiat, et in qualibet earum terminus duorum dierum assignetur.

Declarantes etiam quod in quolibet praeconio, et in qualibet vice praedicta, semper exprimi debeat, quod plus offerenti dabitur, et quod alias procedetur super dicta tenuta, ut iuris erit, et ita servabitur.

Quibus terminis elapsis, si emptor invenietur unus vel plures, per Capitaneos, et Curiam, plus offerenti vendatur, et de quantitate, et pretio rei, ut supra venditae, solvatur debitum actori, et eidem legitimae restituantur expensae.

Si vero emptor non inveniatur, vel inveniatur, sed iustum nollet dare pretium, tunc citetur reus ad videndum constituere unum, vel duos aestimatores, qui dictam tenutam aestimabunt, et eo non comparente, vel comparente, sed legitimas expensas non reficiente, eligant Domini Capitanei unum, vel duos legales homines qui eorum praevio iuramento dictam tenutam aestimare debeant, iuxta quorum aestimationem Domini Capitanei eam in solutum, ex secundo decreto ipsi actori pro quantitate petita, vel aestimatione rei petitae, et pro damnis, et expensis legitimis dare teneantur. Et si quid ex pretio dictae tenutae supererit, illud ipsi reo restituatur.

Si vero aliquid actori praedicto defuerit, ius suum integrum remaneat, et pro omni residuo altera tenuta capiatur, procedendo ad adiudicationem ordine supradicto, et constituendo ipsi actori Plazarium qui eum in veram dictae rei possessionem inducat, et ponat.

Declarantes etiam, quod post praedicta dictus actor, sit, et esse debeat verus dictae rei dominus, et possessor, omniaque iura habeat, quae reus contumax praedictus in ipsa re habebat.

Addentes, quod quoad pretium, ut supra oblatum, utrum iustum fuerit, vel non, Dominorum Capitaneorum dicto, et declarationi stari debeat.

Si autem reali actione fuerit actum, mittatur actor ipse in possessionem rei petitae, in qua per annum stare debeat, quo elapso anno verus dictae rei possessor esse intelligatur.

In utroque tamen casuum praedictorum si reus ipse comparuerit ante sententiam secundi decreti, vel ante rei, de qua data est tenuta, venditionem, quando personali actione actum fuit, vel ante annum, quando reali, audiatur

refectis tamen primo expensis, et damnis legitime factis, et passis, iuxta Dominorum Capitaneorum taxationem.

Et si ille, cui per Dominos Capitaneos praedictos tenuta data, vel assignata fuerit, seu ut supra pronunciata, per adversarij sui potentiam, haud apprehendere, vel apprehensam pacifice illam possidere, seu tenere non poterit praecipue in rebus immobilibus, in quibus probatio per tres Testes de fama sufficiat, eodem iure potiatur, et eumdem in omnibus consequatur effectum, perinde ac si tenutam ipsam vere, et libere tenuisset, et possedisset.

Et si reus ipse, sponte comparuerit, et tenutam assignaverit, tunc procedatur, ut supra extitit declaratum.

Verum quia multoties debitores non curant creditores eorum creditis defraudari, statuimus, quod quicunque sponte eius creditori tenutam obtulerit, teneatur proprio iuramento eidem creditori omnia eius bona mobilia, et immobilia, et se moventia, ac nomina debitorum inscribere, et manifestare, ex quibus creditor ipse tenutam ad eius libitum eligere possit, pro quantitate sibi debita, et debenda, qua electione facta debitor ipse vigore praesentis Statuti ea quae electa fuerint in tenutam creditori praedicto assignare teneatur sub pœna arbitrio Dominorum Capitaneorum pro tempore existentium, de facto ab eo auferenda si contrafecerit.

Si vero sponte debitor tenutam non assignaverit, sed illam per Plazarios servatis, ut supra servandis fuerit accepta, possint Plazarij praedicti, et ex debito eorum officij teneantur, dictam tenutam assumere, de bonis debitoris ad voluntatem creditoris, ut supra.

Praedicta autem locum habeant in quantitatibus excedentibus summam librarum decem, ab inde vero inclusive procedatur summarie ad captionem pignoris, et solutionis coactionem arbitrio Dominorum Capitaneorum, praestito tamen prius creditori de calumnia iuramento, et quod in dicta quantitate sit verus creditor, etc.

De calumniosis, seu cavillosis exceptionibus refrenandis

Rubrica. XII.

Exceptiones cavillosae, et frivolae, seu calumniosae nullatenus opponantur. Et maxime per quas negaretur paternitas, filiatio, fraternitas, praelatura, vel eum, cuius manu publicum instrumentum scriptum invenitur, esse Notarium, vel alia similia. Et si huiusmodi exceptiones opponerentur, illae tamen non verae, sed calumniosae invenirentur, statim hoc comperto, opponens ipse de facto adversae parti in expensis condemnetur, quas cum effectu reficere compellatur, et in decem praeterea libris denariorum Camerae Communis Sancti Marini applicandorum puniatur.

Volentes, quod quando Capitaneis ipsis videbitur tales exceptiones esse calumniosas, statim illas reijcere possint, et illis non obstantibus, ad ulteriora procedere, prout viderint convenire.

De responsione fienda positionibus in causis civilibus.

Rubrica. XIII.

Positionibus omnibus, et singulis, quae in civilibus causis fierent, iurante parte ponente, quod non animo calumniae ponit, sed quod eas veras esse credit, et pertinentes ad causam, in qua ponuntur, adversa pars respondere teneatur.

Et si plures essent coniuncti, seu litis consortes qui respondere deberent, quilibet per Capitaneos respondere compellatur, pure, et simpliciter, per verbum credit, vel non credit, divisim adeo quod alter ex respondentibus non audiat, nec intelligat quousque ipse respondiderit, quid in positionibus contineatur, nec ab alio de responsione fienda instrui possit.

Quod si positiones allegarentur impertinentes, liceat Dominis Capitaneis alias, quas tales esse compererint manifeste, ex officio reijcere, aut si non sint manifestae, admittere cum clausula salvo iure impertinentium, et non admittendarum.

Quo casu si apparebunt postea impertinentes, responsio nullum afferat praeiudicium, et pro non facta habeatur.

Omnibus autem positionibus quae producerentur, principalis respondere teneatur antequam eius Advocato, vel Procuratori ostendantur.

Nec liceat eidem respondere per suum Procuratorem sed per

se respondere debeat, nisi absens fuerit, quo casu servetur modus traditus supra in capitulo XXV sub Rubrica de abbreviatione litium.

Et responsio fieri debeat statim lectis positionibus ipsi respondere debenti.

Nisi tamen Dominis Capitaneis videretur super aliquibus, de quibus pars verosimiliter dubitare deberet, (quod eorum conscientiae relinquimus) dare terminum unius diei, et non ultra ad respondendum.

Statuimus insuper, quod si quis bis per litteras per nuncium deferendas fuerit requisitus cum termino unius diei pro vice qualibet, quod veniat ad respondendum positionibus, et infra dictum litterarum terminum non responderit, positiones ipsae pro confessatis ipso facto, vel negatis absque alia probatione habeantur, prout ponenti utilius, et respondere debenti deterius fuerit.

Volumus quoque, quod in causis civilibus, criminalibus, et mixtis positiones fieri possint, dummodo in criminalibus crimen directo non tangant, et eis tunc debeat responderi sicut in causis mere civilibus.

Quod conventus actione reali, vel petitione hereditatis, vel alio modo teneatur respondere interrogationibus Iudicij praeparatorijs.

Rubrica. XIV.

Ne lites ex litibus oriantur, statuimus quod quilibet conventus, contra quem per agentem interrogatoria iudicij praeparatoria fuerint producta, videlicet si tenet rem pro qua convenitur, et si nomine proprio, vel alieno, pro quota, et quanta parte, et an ex testamento, vel ab intestato, in prima responsione, quam dictis interrogationibus fecerit, praecise respondere teneatur.

Alias habeatur pro confitente, vel negante, et pro possessore, vel non possessore, et pro herede, vel non, prout interroganti absque aliqua pronunciatione super hoc fienda, utilius fuerit, et ipsi convento deterius.

Nisi Capitaneis videretur novam ad respondendum dare dilationem, qua elapsa, et non respondente, observetur ut supra.

STATUTORUM

De contractibus minorum.

Rubrica. XV.

Ut minorum facilitati modis convenientibus succurratur, statuimus, et ordinamus, quod contractus factus, et celebratus a minore quatuordecim annis sine tutoris vel curatoris auctoritate, ipso iure nullius sit momenti, vel valoris.

Venditiones vero, alienationes, remissiones, cessiones, et concessiones, et quietationes quarumcunque rerum, iurium, vel actionum, sub quacunque forma contractuum, vel verborum, a maioribus quatuordecim annis, et vigesimum annum non excedentibus sine iuramento corporaliter praestito, et sine consensu duorum, vel trium proximorum consanguineorum, si existant, vel saltem affinium, si consanguinei non existerent, et sine decreto Capitaneorum, vel alterius eorum cum quibuscumque hominibus, et personis, seu collegijs, vel universitatibus fieri non valeant, et nullatenus celebrentur.

Et si facti, vel celebrati fuerint, non servatis omnibus supradictis, praesumantur, et fingantur dolose extorti, et nullam obtineant firmitatem.

Et contrahentes cum minore contra formam superius adnotatam arbitrio Dominorum Capitaneorum puniantur.

Et si forte dicti consanguinei, vel attinentes nollent comparere ad consentiendum, vel dissentiendum, tunc Domini Capitanei ad minoris praedicti instantiam teneantur dictos consanguineos, et affines iuris remedijs opportunis cogere, et mulctare ad comparendum, et eorum intentionem exponendum super contractu celebrando.

Et si discordes essent, ut quia alter eorum contractum in minoris utilitatem cedere asseveraret, et alter id negaret, tunc arbitrio Dominorum Capitaneorum statuimus remittendum, ut quid ipsi super huiusmodi minoris utilitate, vel praeiudicio declaraverint, plenam obtineat firmitatem.

Et si consanguinei, vel affines usque in quintum gradum inclusive in Terra Sancti Marini, vel eius districtu non reperirentur, tunc loco dictorum consanguineorum, sive affinium deficentium, trium ex Consilio duodecim dictorum Dominorum Capitaneorum, et ab eis eligendorum consensus sufficiat, qui eorum iuramento deponant huiusmodi contractum in dicti minoris utilitatem cedere.

Qui contractus sicut praefertur, omnibusque ut supra requi-

sitis intervenientibus, celebratus, valeat, et effectum sortiatur. Alias nullius sit roboris, vel momenti, et dolo, et fraude praesumatur, ut supra, extortus, etiam si iuramento fuerit firmatus.

De rebus minorum non alienandis.
Rubrica. XVI.

STATUIMUS, et ordinamus, quod quicunque fuerit alterius tutor, vel curator, negotiorumve gestor nullam obligandi, seu alienandi res immobiles habeat facultatem, quarum administrationem habuerit, sine Dominorum Capitaneorum auctoritate, et causae cognitione, et in praesentia duorum proximorum ipsius, cuius res alienari, vel obligari debet, et prout supra in praecedenti rubrica latius fuit explicatum.

Quae omnino servari debere volumus, et ordinamus. Et alio modo facta alienatio non valeat, nec teneat, et obligatio nullum sortiatur effectum ut supra, etc.

Quod finis, et quietatio facta per minores non valeat, nisi ratione reddita per Tutores.
Rubrica. XVII.

STATUIMUS, et ordinamus, quod tutores cupientes post eorum officium ab ipsis minoribus liberari, et validum finem eorum administrationum consequi, teneantur, et debeant coram Dominis Capitaneis petere ei dari curatorem, cuius tutores extiterunt, et a quo finem suae, vel eorum administrationum habere cupiunt.

Qui quidem curator sit, et esse debeat unus ex proximioribus ipsius minoris ex latere paterno, si extabit, alias ex latere materno.

Qui si non extabunt, nec aliquis alius propinquus ipsius minoris extabit in Terra Sancti Marini, vel eius Territorio, et districtu ex aliquo latere usque in tertium gradum inclusive, sufficiat alter iudicio Dominorum Capitaneorum electus cum Consilio duodecim virorum dictae Terrae, et eiusdem Consilij accedente voluntate.

Cui quidem curatori sic, ut supra dato, tutores ipsi rationem eorum administratae tutelae reddere teneantur, tam de perceptis, et impensis, quam generaliter de omnibus, et singulis rebus, et bonis ad ipsos tutores ex ipsius

pupilli substantia perventis, et tam de neglectis, quam de bene, et fideliter administratis secundum formam iuris, et statutorum Terrae Sancti Marini.

Qua ratione sic, ut praefertur, reddita, si reperiretur tutorem bene, et fideliter dicti pupilli negotia gessisse, possit ipse minor, coram dictis Dominis Capitaneis cum praesentia, licentia, ac consensu dicti curatoris finem, et quietationem suo tutori facere, et hoc casu ipsi Domini Capitanei suam, et Communis Sancti Marini auctoritatem pariter, et decretum interponere teneantur.

Ubi autem minor suo tutori finem, et quietationem sine praesentia curatoris praedicti, et non reddita ratione, ut supra, quoquo modo fecerit, finis, et quietatio illa nullius sit valoris, vel momenti, etiam si coram Dominis Capitaneis fuerit celebrata, et per ipsum minorem super huiusmodi fine, et quietatione fuerit iuratum.

Immo, praedictis non obstantibus, minor ipse, et eius curator iuris-remedijs opportunis ipsum tutorem ad solemniter, ut supra, reddendam rationem, et sibi de neglectis, et ommissis, et male gestis satisfaciendum, secundum formam iuris, et statutorum Communis Sancti Marini cogi facere possit, nisi aliter quoad praedictam rationem administrationis reddendam per testatores provisum, et ordinatum fuerit.

Quo casu huiusmodi provisio iuxta terminos iuris sibi locum vindicet, et plenam obtineat firmitatem.

Quod filij familias possint in iudicio legitime contrahere non obstante patria potestate.

Rubrica. XVIII.

Statuimus, et ordinamus, quod filij familias, tam masculi, quam fœminae, et quilibet patriae potestati suppositus, maior tamen viginti annis se efficaciter in omnibus contractibus, et ex quacunque causa etiam ipsis filijs familias prohibita obligari possint, et alios sibi obligatos constituere, non obstante Macedoniana, vel alia simili exceptione.

Possintque tam in agendo, quam in se defendendo absque aliquo ipsorum parentum consensu in iudicio legitime comparere.

Ex contractibus tamen ipsorum filiorum, vel aliorum in potestate existentium, vel ex quasi contractibus, et ex eorundem iudicijs sine parentum consensu agitatis nullum

ipsis parentibus generari possit praeiudicium, nisi forte ex talibus contractibus, vel quasi, vel ex eorum iudicijs praedictis facti essent ipsi patres familias locupletiores, quo casu eatenus teneantur quatenus facti erunt locupletiores, et non ultra.

De Actis et instrumentis productis quomodo restituantur.

Rubrica. XIX.

Actis, testamentis, codicillis, et instrumentis, et quibuscunque scripturis in iudicio productis, Capitanei quandocunque ad petitionem producentis terminum adversae parti convenientem ad accipiendum copiam de productis dare teneantur, et termino elapso parti producenti, et ad eius petitionem, Notarius causae producta registrare, et restituere ipsis registratis teneatur pœna centum solidorum Communi applicandorum. Capitaneique ipsi sub simili pœna dari dictum terminum, et Notarium causae ad praedictorum restitutionem cogere debeant.
Et praedicta in causis civilibus, et criminalibus, et omni causarum genere locum habere volumus.

De litis contestatione.

Rubrica. XX.

Quoniam in litis contestatione quaedam iuris constitutionibus verborum solemnitas requiritur, quae, quandoque non bene per Notarium scribi, nec per partes exprimi, aut explicari potest, statuimus, et ordinamus, quod in litis contestatione per Notarium scribi haec verba sufficiant, nempe; et litis contestatio facta est, et iuratum de calumnia ab utraque parte. Quod si ita scriptum reperiretur, pro vera, et legitima contestatione habeatur, ac si omnia iuris solemnia intervenissent, et nihil propterea contra eam possit opponi.

De solutione salarij Curiae in contestatione litis.

Rubrica. XXI.

ITEM statuimus, et ordinamus, quod tempore contestationis litis solvantur ab utraque parte sex denarij pro quolibet, et qualibet libra, vel rei aestimatione, quae peteretur, de qua solutione per Notarium Curiae scriptura fieri debeat.

Declarando quod lis pro contestata habeatur quoad solutionem capitum solidorum, si simpliciter detur terminus ad probandum. Quod salarium si solutum non reperietur, quod postea factum erit, non valeat, nec teneat. Possit tamen reus personaliter cogi ad solvendum partem suam salarij praedicti.

Et si actor pro reo solverit, Domini Capitanei de facto captis pignoribus reum ipsum compellere teneantur, ut actori praedicto incontinenti quantitatem pro eo solutam restituat.

Idem per omnia observari volumus, quando tenuta aliqua contra aliquem decernitur, et pronunciatur.

Et quotiescunque etiam aliqua executio realis, vel personalis committitur contra aliquem forensem immobilia non possidentem sufficentia ad rem, vel quantitatem petitam, salarium antedictum solvatur, alias, gesta sint ipso iure nulla.

Idemque in sequestrationibus faciendis observetur, quae deinde infra quinque dies subsequentes debeant liquidari, alias penitus annullentur, et res ipsae sequestratae liberentur.

Quod fideiussores conveniri possint ante reum principalem.

Rubrica. XXII.

ITEM statuimus, quod si quis fideiussorio nomine se se ad aliquid faciendum obligaverit, possit ante reum ipsum principalem conveniri, et etiam postea, ac si esset principalis, iuxta id quod ipsi recipienti videbitur.

Et hoc sive renunciaverit beneficio de fideiussoribus, sive non, et contra praedicta non audiatur aliquid dicens, vel opponens.

De fideiussoribus indemnibus conservandis.

Rubrica. XXIII.

STATUIMUS, et ordinamus, quod si quis pro aliqua persona, Communi, collegio, vel universitate fideiusserit, vel se quomodolibet obligaverit occasione alicuius maleficij, vel in contractibus, seu quasi contractibus, vel distractibus in iudicio, vel extra, et occasione alicuius fideiussionis, vel cuiuscunque alterius obligationis in se susceptae aliquid de suo solverit, teneatur ipsa singularis persona, Commune, collegium, sive universitas ipsum fideiussorem, seu aliter quocunque modo obligatum, indemnem penitus conservare ab omni eo, quod solverit, et ab omnibus damnis, et interesse, pro quorum declaratione ipsius fideiussoris, et ut supra obligati, solventis iuramento credi volumus, procedendo in praedictis omnibus, et singulis summarie de plano sine strepitu, et figura iudicij.

Liceat etiam ipsi fideiussori, et cuilibet pro alio, ut supra, solventi suum principalem pro quo solverit, vel damnum, et interesse passus fuerit, capi, et carceribus mancipari facere, ibique detineri, donec integre de solutione, et de omni eius damno, et interesse sibi fuerit satisfactum.

Qui si capi non potuerit, ponatur in banno ad ipsius solventis petitionem, de quo exire non possit nisi sorte, ut supra, soluta, et omni damno, et interesse suo fideiussori, seu aliter solventi satisfacto.

Si tamen ipse solvens contra suum principalem praesentem, vel contumacem agere voluerit, habita cognitione summaria, sine strepitu, et figura iudicij, ut supra, ponatur in corporalem bonorum possessionem ipsius principalis ad eiusdem solventis electionem pro integra omnium praedictorum, ut supra, solutione, et satisfactione, iuxta aestimationem fiendam per duos probos viros, si pro se bona illa retinere maluerit.

Alias sibi liceat bona ipsa venalia proponere per subhastationem, et plus offerenti dare, et liberare, et de ipsis venditionis instrumentum exponere, iuxta formam statuti supra positi, de modo procedendi contra contumacem.

Adijcientes, quod fideiussori per principalem, vel correum nihil obijci possit, quod aliquid defensionis culpa, vel negligentia omiserit.

Immo possit idem fideiussor principalem debitorem ad solutionem cogi facere, et antequam contra ipsum fuerit excussum, et

absque eo, quod sibi non fuerint iura cessa, dummodo ante conditionem, vel tempus non petatur.

Quod eodem modo procedatur per fideiussorem contra principalem, quo proceditur contra ipsum fideiussorem.

Rubrica. XXIV.

Cum sit iuri consonum, accessorium sequi naturam sui principalis, volumus, et mandamus, quod eadem via, et modo, ad instantiam fideiussoris, sive correi, contra correum, seu alios reos debendi procedatur, et etiam contra principalem debitorem procedi possit, quemadmodum contra ipsum fideiussorem, vel correum ad principalis creditoris instantiam processum fuerit, et agitatum.

Quinimo, in tali casu summarie, et diebus feriatis in utilitatem hominum non obstantibus, procedi possit, etiam si ita pacto conventum non fuerit, nec dictis ferijs renunciatum.

Addentes tamen quod non intelligatur alicui iuri solide renunciatum per creditorem, vel facta electio, vel divisio correorum, nisi id expresse actum fore constiterit.

De quaestionibus venientibus die mercatus, sive nundinarum.

Rubrica. XXV.

Quoniam in mercatibus, et nundinis consueverunt multae mercationes fieri, de quibus quaestiones oriuntur, et quia etiam forenses, ut plurimum ad mercatum, et nundinas veniunt, quorum litigare non interest, statuimus, et ordinamus, quod Domini Capitanei arbitrium habeant in omnibus quaestionibus, quae coram eis vertuntur, et in diebus mercatus et nundinarum oriuntur super mercantijs, et rebus, quae in mercatibus, et nundinis fierent, vel earum occasione, possintque, et debeant dictas quaestiones summarie, et de facto cum scriptura, vel sine scriptura diffinire, et terminare.

Et insuper sequestrare, et sequestrari facere possint de bonis dictorum litigatorum, vel alterius eorum prout eis videbitur pro dictis quaestionibus decidendis, et terminandis.

Possintque insuper litigantes praedictos, vel eorum alterum personaliter detineri facere, si id expedire videbitur, quo usque mandatum fuerit executioni, quod dixerint, praeceperint, vel fieri mandaverint super quaestionibus supradictis.

Et quod in mercatibus, et nundinibus non audiant aliquos de Terra Sancti Marini, vel eius Curia ad invicem litigantes, nisi de ijs quaestionibus, quae orientur in dictis mercatibus, et nundinis.

De modo procedendi contra forenses, et contra terrigenas pro forensibus.

Rubrica. XXVI.

Statuimus, et ordinamus, quod si aliqua persona forensis reperietur in foro, sive Mercatali die Mercurij, vel in Terra Sancti Marini, vel in alio loco districtus eiusdem Terrae, quae teneatur dare, vel solvere aliquam pecuniarum quantitatem, seu res alias alicui de dicta Terra quocumque modo, et qualicumque de causa, Capitanei qui pro tempore fuerint, veritate reperta, teneantur summarie absque figura iudicij eosdem debitores ad petitionem suorum creditorum statim realiter, et personaliter ad satisfactionem compellere, illos in loco securo detinendo omnibus eorum expensis, usque ad plenam debiti, et expensarum a creditoribus eadem de causa legitime factarum solutionem.

Et similiter, ut supra procedatur contra terrigenam, et quemlibet alium habitatorem ad instantiam, et petitionem cuiuslibet forensis pro qualibet re, et pro quolibet debito magno, vel parvo, legibus, provisionibus, vel statutis quibuscumque in contrarium loquentibus, in aliquo non obstantibus.

De debitoribus Forensibus detinendis.

Rubrica. XXVII.

Si aliquis forensis aliquod debitum in Terra Sancti Marini, vel eius districtu quacumque de causa contraxerit, solvere per Dominos Capitaneos in dicta Terra compellatur, quod si unde solveret non haberet, seu solvere nollet, et recusaret, personaliter detineatur suis proprijs expensis usque ad integram debiti, et expensarum satisfactionem, et solutionem, quando constiterit ipsum esse debitorem.

Et hoc Domini Capitanei facere teneantur summarie, cognita veritate, sine libelli datione, et sine alia iudiciali solemnitate.

Idem intelligatur de terrigenis, qui res mobiles, sive immobiles, in Terra Sancti Marini, vel eius curia, et districtu non haberent.

Et si quis forensem aliquem pro debito, vel aliquo alio detineri fecerit, quod ab eodem petere vellet, teneatur illud, quod petit intra terminum competentem arbitrio Dominorum Capitaneorum probare, postquam iam ipsum fecerit detinere, alias detentus absolvatur, et qui eum detinere fecerit, omnia ei damna, et expensas, quae, et quas substinuerat, vel dicta de causa incurrerat restituere teneatur.

De Testium examinatione.
Rubrica. XXVIII.

Statuimus, et ordinamus, quod in omnibus quaestionibus civilibus, in quibus testes examinari debent, illi examinari non possint, nisi primo per producentem testes ipsos fuerint articuli producti, super quibus illos examinari petit, et datus fuerit terminus alteri parti ad accipiendum copiam dictorum articulorum, et faciendum interrogatoria, iuxta quorum articulorum, et interrogatoriorum formam ipsi testes examinari debeant.

Et aliter examinatio facta non teneat ipso iure, quod sibi locum vindicare volumus, si agens, vel reus terminum, vel dilationem ad ponendum, vel articulandum petierint, et eis per Capitaneos fuerit denegatus.

Qui testes parte, contra quam producerentur, praesente, vel saltem citata, debeant iurare.

Et iuramentum solemniter fuisse receptum intelligatur, ubi per Notarium scriptum fuisse reperietur per haec, vel similia verba, testis iuratus.

Et contra eum, vel contra dictum suum ea ratione, vel causa, quod solemniter, et secundum formam iuris non iuraverit, aliquid non possit opponi.

Liceat etiam ei, contra quem dicti testes fuerint producti, et examinati, in termino sibi dato ad opponendum contra processum, et testes, eorumque personas, et dicta, ac attestationes, excipere, et opponere.

Nec excipiendi, et opponendi via, et facultas sibi praeclusa esse intelligatur, ex eo fortasse, (quod plerumque per ignaviam, vel in advertentiam contingere solet,) quod tempore praestiti iuramenti testibus antedictis pro-

Reus vero conventus iudicium in se assumere, et comparere possit, ac teneatur, et contra ipsum in eius etiam absentia absque ullo iuramento praestando procedi utique possit.

Et iudicium, processus, et sententia, omniaque acta in causa cum ipso minori praedicto valeant, et teneant, ac plenum sortiantur effectum, non obstante aliqua minori aetate, ac si cum maiore agitata fuissent.

Possitque, ac valeat minor praedictus Procuratorem tam in agendo, quam in se defendendo constituere, non obstante minori aetate praedicta, processusque cum huiusmodi Procuratore agitatus sit in qualibet sui parte validus, et plenum sortiatur effectum.

Praestito tamen per ipsum minorem praedictum in huiusmodi Procuratoris constitutione iuramento de ratum habendo omnia, et singula gesta per eum, non obstante minori aetate.

De quaestionibus iureiurando decidendis.

Rubrica. XXXI.

Ut quaestiones facilius, et celerius decidantur, ac terminentur statuimus, quod partes, quaestiones inter eas ortas, negotiaque quaecunque inter eas inita possint per iusiurandum terminare, si voluerint, una parte alteri parti iusiurandum deferendo, ita ut ipsi, cui iuramentum fuerit delatum, iurare sic esse, vel non esse teneatur, vel alteri iuramentum referre.

Verum, ut omnis deierandi auferatur occasio, statuimus, et ordinamus, quod non obstante lege illa, qua disponitur, quod delato iureiurando nihil amplius quaeratur, nisi an iuratum fuerit, ille contra quem iuratum fuerit, habeat, si voluerit, terminum arbitrio Dominorum Capitaneorum ei assignandum inspecta facti qualitate ad iuramentum illud reprobandum, et si quidem reprobaverit, non obstante iuramento, procedatur in causa secundum eius probationes, et ille qui iuravit in pœnam condemnetur, quae in capitulo de periurio continetur. Si vero non probaverit, eadem pœna condemnetur qui terminum petierit ad reprobandum iuramentum, ut supra.

Quod victus victori in expensis condemnetur.

Rubrica. XXXII.

STATUIMUS, et ordinamus, quod in omnibus causis victus victori condemnetur in expensis, iuramento calumniae in causa praestito non obstante, taxatione tamen praemissa a Dominis Capitaneis in quibus expensis reficiendis praegravari debeat.

Salaria Advocatorum, et Procuratorum, et alias expensas quae iure veniunt reficiendae, reficiantur. Nisi tamen ipse victus legitimam litigandi causam habuerit.

De communibus muris, et parietibus faciendis.

Rubrica. XXXIII.

SI quis iuxta domum sui vicini domum habuerit clausam inter se et vicinum praedictum ex assibus, vel pariete cannarum, vel vincorum, aut similium, et ipsorum aliquis murum inter ipsos facere voluerit, teneatur alter vicinus praedictus ad illius requisitionem murum facere infra duos menses post requisitionem praedictam, iuxta iudicium, et duorum peritorum in arte declarationem, inspecta partium facultate.

Qui periti in arte praedicti a partibus, si concordes fuerint, eligantur, alias Domini Capitanei illos ex eorum officio eligere teneantur.

Quae in muro communi ruinam minante locum sibi vindicare decernimus.

Volentes, si quis cum suo vicino murum communem inter eorum domos haberet, qui ruinam minaretur, vel si inter domos praedictas aliquis murus, sive paries non fuerit, quod facta requisitione alterius partis in iudicio si pars requisita murum praedictum facere recusaverit, tunc pars illa hoc fieri petens possit cum licentia, et consensu Dominorum Capitaneorum murum praedictum ruinantem reficere, vel de novo alium in loco Communi construere, iuxta duorum peritorum, ut supra eligendorum iudicium.

Quo facto Domini Capitanei ad eius instantiam alteram partem recusantem, realiter, et personaliter cogant ad ei infra mensem inde proxime sequentem omnes expensas reficiendum, tam magisterij, quam calcis, arenae, et la-

pidum in dicto muro erogatas, pro rata tamen tantum sibi tangente, arbitrio, et iudicio dictorum duorum peritorum, ut super eligendorum.

De non declinanda iurisdictione Dominorum Capitaneorum, vel aliorum quorumcumque Iudicum Terrae Sancti Marini.

Rubrica. XXXIV.

STATUIMUS, et ordinamus, quod quicunque terrigena, seu habitator Terrae Sancti Marini, vel eius Territorij, et districtus, litem, causam, seu controversiam cum aliquo terrigena, vel habitatore dictae Terrae, seu eius districtus habuerit occasione alicuius quantitatis sibi debitae, vel rei etiam propriae, seu alia quacunque ratione, vel causa, et similiter quicunque, ut supra querelare, denunciare, vel accusare voluerit quemcumque de dicta Terra, teneatur, et debeat ipsam causam, litem, et controversiam, querelam, denunciam, seu accusationem tam civilem, quam criminalem, seu etiam mixtam coram Dominis Capitaneis instituere, et institutam coram eisdem Dominis Capitaneis in prima instantia agitare, procedere, ac terminari facere, et non coram alio Iudice, seu Officiali quovis nomine nuncupato.

Si vero res, de qua lis, seu quaestio verteretur, in aliena esset iurisdictione, seu Territorio, et similiter si iniuria, maleficium, seu contumelia, in aliena iurisdictione, seu Territorio illata, seu commissa, vel perpetrata fuerint, Domini Capitanei Sancti Marini teneantur, et debeant praedictis omnibus, et singulis agere volentibus, seu querelare, accusare, seu denunciare iustitiam administrare, iuxta formam iuris, et statutorum Terrae Sancti Marini.

In causis vero appellationum similiter coram Iudicibus appellationum Terrae Sancti Marini, ut supra, iudicia quaecunque ubi fuerit provocatum, vel appellatum, tam in civili quam in criminali, seu mixta causa agitari, et terminari debeant, pœna in quolibet praedictorum casuum nullitatis omnium factorum, et actitatorum, et quinquaginta praeterea librarum denariorum, Camerae Communis Terrae Sancti Marini ipso facto applicandarum, in quam pecuniariam pœnam incurrant etiam Domini Capitanei si iustitiam administrare denegaverint sub quovis praetextu in quolibet similiter praedictorum casuum.

Declarantes, quod omnia praedicta sibi locum vindicare volumus inter saeculares personas tantum, non autem inter saecularem, et clericum, vel aliam quamlibet ecclesiasticam personam, quibus in casibus ius canonicum est servandum.

De tempore infra quod peti possint salaria, et mercedes. Rubrica. XXXV.

Statuimus, et ordinamus, quod quicumque masculus, vel fœmina suas operas alicui praestiterit, pro quibus salarium, vel mercedem, ex conventione, vel aliter habere debeat, teneatur mercedem, et salarium ipsum in iudicio civiliter petere, si alio modo illud consequi non poterit, infra tres annos a die finiti operis, vel servitij incipiendos.

Ad quod petendum per dictum triennium si negligens fuerit, dicto tempore elapso sibi solutum fuisse praesumatur, et ab omni actione cadat, nisi aliter eius praetensa iura legitime probaverit.

Quod totum conscientiae Dominorum Capitaneorum relinquimus, quam solutionis praesumptionem locum habere volumus, si per ipsam partem iureiurando affirmatum fuerit, huiusmodi solutionem, et mercedis praedictae satisfactionem ipsi petenti praestitisse.

Similique modo teneatur famulus, et famula eorum salarium infra tres annos petere a die discessionis ab eorum dominis incipiendos.

Ita ut si servitium per plures annos praestiterint, nulla eis temporis praescriptio currat, quo usque famulatus, et servitij tempus durat.

Si autem infra dictum tempus, servatis servandis, ut supra, non petierint, omnem mercedem, et salarium recepisse praesumantur, et auctoritate praesentis Statuti ab omni iure petendi cecidisse dicantur.

De modo procedendi super debitis occasione laboris, seu mercedis. Rubrica. XXXVI.

Statuimus, et ordinamus, quod Capitanei, qui pro tempore fuerint ad cuiuslibet personae agentis petitionem, quemlibet debitorem, sive terrigenam, sive forensem compellere teneantur, et ipsum personaliter in domo Communis pro quolibet labore usque ad integram mercedis, et expensarum in iudicio factarum solutionem detinere debeant, dummodo debitor

ipse in iudicio se debitorem confiteatur. Qui si negaverit, et postea ipsum debitorem esse compertum fuerit, condemnetur in tantundem, quod creditori solvere debuerit, et nihilominus pro praedictis personaliter suis expensis debeat detineri.

De operarum locatoribus, et conductoribus.
Rubrica. XXXVII.

Considerantes quantum naturali aequitati conveniat pacta, et conventiones servari, hoc statuto decernimus, quod si qua persona cuiuscunque conditionis, artis, sive exercitij fuerit, promiserit, vel aliter convenerit operas per se, vel famulum, seu cum bestijs, ut puta bobus, seu alijs animalibus alicui praestare, sive suis, sive conductoris sumptibus, et tempore convento non iverit ad praestandum operas conventas, talis conductus teneatur illi, cui promiserit, et operam praestare convenerit, tantumdem solvere quantum ipse operibus praestitis lucratus fuisset.

Et similiter si quis aliquem ad operas, ut supra, conduxerit, et per ipsum postea steterit, quo minus huiusmodi conductus operam praestet, salarium nihilominus, et solitam mercedem eidem solvere teneatur.

Et in dubio, non probata conventione mercedis stetur consuetudini Terrae Sancti Marini attento genere operarum de quibus ageretur.

Et super praemissis summarie, simpliciter, et sola facti veritate inspecta procedatur.

De famulo discedente a domino ante tempus conventum, et de domino famulum ante idem tempus licentiante.
Rubrica. XXXVIII.

Statuimus, et ordinamus, quod nullus famulus, seu famula alterius personae, qui pacto convento ad tempus alteri inservire promiserit, et tempus promissum postea non compleverit se se a suo domino, eoque invito, separando, et recedendo, pro conservatione integrae mercedis conventae non audiatur, sed imo praedicti cadant a quarta parte totius conventi salarij, quod meruerint pro eo tempore, quo inservierint, et nihilominus ad omnia damna, et interesse patroni, seu patronae teneantur.

Nisi tamen ex iusta, et rationabili causa recesserint, quam famulus, sive famula probare teneantur.

Nec audiantur etiam cum dominis redire volentes.

Nec dominus ipse eosdem amplius recipere compellatur, sed auctoritate praesentis statuti ab omni obligatione liberatus sit, et esse intelligatur.

Volentes e contra, quod si patronus, seu dominus absque legitima, vel rationabili causa, quam probare teneatur, famulum, seu famulam contra ipsorum voluntatem, et durante conventionis tempore expullerit, eidem famulo, seu famulae eorum mercedem, pro toto tempore, quo inservierint, cum quarto pluri, nulla temporis differentia, seu distinctione habita, solvere teneatur.

Et nihilominus ad omnia damna, et interesse eorumdem famulorum, quae pro huiusmodi expulsione substinuerint, eisdem famulis teneatur.

Nec famulus ipse, seu famula contra eorum voluntatem compelli, aut ullo modo ad redeundum, et standum cum eorum dominis, eosdem, ut supra, expellentibus, cogi possint.

Quae causae utrum legitimae, et rationabiles fuerint, necne, iudicio Dominorum Capitaneorum, et eorum Consilio duodecim stari debeat, etc.

De Curatore dando minoribus, et male in rebus eorum versantibus. Rubrica. XXXIX.

Si quis minor vigintiquinque annis tutorem, vel curatorem non habens male in rebus suis gerendis versari cognitus fuerit, ludis, et tabernis incumbendo, vel alijs huiusmodi turpibus, et inhonestis actionibus operam navando iudicio Dominorum Capitaneorum, teneantur ipsi Domini Capitanei praedicti advertere, et saltem ad alterius cuiuscunque denunciam perquirere, et de praedictis se se diligenter informare, et cum interventu Consilij duodecim virorum huiusmodi minori curatorem idoneum ex consanguineis ipsius constituere, vel alium, ubi consanguinei defuerint, prout ipsis Dominis Capitaneis magis videbitur, et placebit.

Qui curator, inventario confecto, absque alio fideiussore bona praedicti minoris, more boni, et fidelis curatoris gubernare, et administrare valeat, quousque praedictus minor, in bonam, et honestam vitam, iudicio Dominorum Capitaneorum devenerit, vel vigesimumquintum annum compleverit.

Et interim sit ei, et esse intelligatur interdicta omnium suorum bonorum administratio, dum tamen curator ipse det ei, pro ut dare ipsum teneri volumus, sumptus, et impensas iuxta substantiae suae facultatem.

Quo tempore elapso, teneatur ipse curator omni casu suae administrationis rationem reddere cum integra residui restitutione.

Possitque salarium per Dominos Capitaneos ei constitui, et taxari pro suo labore.

Et hoc locum habere volumus etiam in maiori vigintiquinque annis male in suis rebus agendis versante, etc.

De tutoribus.

Rubrica. LX.

Quod ad tutorum provisionem pertinet statuimus, quod si quidem pater in eius testamento, vel alia quacunque ultima voluntate, tutorem filijs suis ordinaverit huiusmodi descripti, seu ordinati tutores existant, ceterisque legitimis, et dativis tutoribus praeferantur.

Qui tutores idonee satisdare teneantur, licet eorum fides ab ipso testatore fuerit approbata, nisi aliter per testatorem fuerit ordinatum.

Deficientibus autem praedictis tutoribus, in testamento, vel alia ultima voluntate ordinatis, ad legitimos perveniatur hoc modo.

Primo enim matri, deinde aviae volentibus tutela praedicta decernatur, quae legitima censeatur.

Et hae ceteris praeferantur, et per se ipsas tutelam praedictam administrare teneantur.

Si autem mater, et avia non extarent, hoc ordine ad legitimos tutores perveniri volumus, videlicet, quod Domini Capitanei diligenti facta inquisitione de legitimis illum ex eis tutorem ordinent, quem magis idoneum compererint, proximitate non attenta.

Qui sic ordinatus huiusmodi tutelam per Dominos Capitaneos suscipere cogatur, iuris remedijs opportunis, nisi legitimam habuerit excusationem.

Ubi autem legitimi tutores non existerent, tunc Domini Capitanei de idoneis, et optimis hominibus inquisitione facta unum, vel plures idoneos, pro ut eis melius videbitur decernant, tutores cogendo eum, vel eos iuris remedijs opportunis, tutelam suscipere.

Et praedicta facere teneantur tam ex eorum officio, quam ad cuiuscunque petitionem, nisi aliquam legitimam haberent excusationem.

Tutores autem antequam tutelae administrationem suscipiant, omnium bonorum, rerum, et debitorum, ac creditorum pupilli inventarium, legaliter, et sine fraude conficere teneantur, aliaque faciant intra triginta dies postquam tutores dati fuerint, ad quae de iure tenentur, et debent.

Ubi autem mater, et avia tutrices prædictae ad secunda vota transire voluerint, tunc ad legitimos deveniatur, si extabunt, alias ad dativos, servato modo, et forma superius assignata.

Si quis autem a tutela testamentaria se se excusare voluerit, huius rei facultatem habeat, infra octo dies continuos, a die monitionis, seu ordinationis computandos, infra quos peremptorie, et præcise suas excusationes probasse, et probatas habuisse debeat cum effectu.

Quæ autem legitimae excusationes dijudicari debeant Dominorum Capitaneorum iudicio relinquimus, iuris communis dispositione quoquomodo non obstante.

Et si quæ persona etiam non coniuncta pupillis prædictis sub tutela, ut supra, manentibus, querelam aliquam Dominis Capitaneis exposuerit ex eo, quia huiusmodi tutor fraudem aliquam, culpam, vel negligentiam in ipsa tutela commiserit, Domini Capitanei summarie, simpliciter, et de plano, et sine strepitu, ac figura iudicij, et omni solemnitate, etiam substantiali iuris, ommissa super inde se se diligenter informent, et re comperta, tutores ipsos de facto a tutela removere debeant.

De alienatione rerum dotalium.

Rubrica. XLI.

VENDITIONES, seu quaecunque aliae rerum dotalium alienationes, sive extimatae fuerint, sive non, vel rerum immobilium expresse, et in specie uxori obligatarum, quas vir cum uxoris consensu fecerit, non aliter valeant, nisi in scriptis, et servatis infrascriptis, fuerint celebratae, nempe quod uxor cum duorum eius proximiorum consanguineorum consensu huiusmodi venditioni, seu alienationi consentiat, ipsamque firmam habere, atque tenere formiter promittat, et in instrumento super inde coficiendo, quod omnino confici exigimus, atque mandamus, exprimatur cambium, quod uxor a marito recipit,

vel quod venditio fit animo, et intentione meliorandi, et meliorem rem stabilem reddere promittatur quam pro uxore ipsa ex pretio praedicto emi debere mandamus.

Quam emptionem cum melioramento praedicto vir ipse tam ad eius uxoris quam ad emptoris rei dotalis praedictae petitionem omnino facere cogatur.

Quod quidem cambium si tempore dictae venditionis, seu alienationis extiterit, vel quod emptio praedicta pro melioramento fuerit aeque bona, prout res dotalis vendita, vel alienata fuit, advertatur quod praedicta in re immobili in Terra Sancti Marini, vel eius districtu posita verificentur.

Liceat autem uxori res suas dotales pro suis, aut sui mariti, vel filiorum necessitatibus, de quibus legitime constet, ac etiam res paraphernales nulla subsistente necessitate, alienare, vel obligare, etiam sine cambio aliquo, si duo tantum proximiores eius consanguinei, si existant, vel unus saltem consentiat, et nullo existente consanguineo, Dominorum Capitaneorum auctoritas, et consensus, ac etiam consensus curatoris eidem uxori dandi, si mulier ipsa tunc minor esset, plene sufficiant.

Quod in causa restitutionis, seu reintegrationis possessionis, summarie procedatur. Rubrica. XLII.

Statuimus, et ordinamus, quod si contingat aliquem auctoritate propria, sine Dominorum Capitaneorum licentia, rei alicuius immobilis possessionem intrare, vel ipsam rem detinere, vel aliquo modo occupare, seu pignorare, vel pignorari facere, tunc illa possessio, detentio, vel occupatio, vel pignoratio nullo modo praeiudicet vero domino, nec de illa possessione, et detentione, seu occupatione, aut pignoratione praescriptio ulla sequi possit.

Immo teneantur ipsi Domini Capitanei expulsum de possessione praedicta in tenutam reponere sine aliqua iudiciali cognitione, et eumdem in possessione manutenere, quousque discussum fuerit, et iudicatum de iuribus partium, si qua lis, seu quaestio inter partes mota fuerit, et nihilominus talis occupans, detinens, vel molestans possidentem in sua possessione, vel detentione, vel in re ipsa aliquid nocivum faciens, vel impediens, vel etiam laborans, aedificans, vel construens, aut destruens sine huiusmodi licentia, condemnetur, in libris quinquaginta denariorum Communitati Sancti

Marini applicandorum. Exceptis tamen illis, qui titulum a rei Domino haberent.

De novi operis nunciatione.
Rubrica XLIII.

Ad evitanda scandala, quae in futurum oriri possent, ut nemo invitus pro iuribus suis gravetur contra omnem rationem, præsenti constitutione firmamus, quod si quis novum opus ædificare, vel construere, sive ædificari, vel construi, vel reparari fecerit, et ei vel eius opificibus, aut alijs adstantibus ad dictum opus faciendum, vel fieri faciendum in dicto novo opere, vel reparatione veteris operis, vel in totum, vel in partem quocunque modo, vel forma minatum, vel contradictum fuerit, Domini Capitanei ad illius requisitionem cui minatum, vel contradictum fuerit, ad videndum locum, et ad ipsum opus personaliter se se conferre debeant, et teneantur, et locum ipsum, ac opus, convocatis convicinis loci alicui partium non suspectis, et viso loco, ac audito dicto, ac depositione convicinorum, requirant, ac requiri faciant incontinenti minantem, vel contradicentem, et sciant ab eo, si vult persistere.

Qui si perisistere voluerit, statim Domini Capitanei ipsi si viderint, vel cognoverint præiudicium, vel causam unam, vel plures in minis, vel contradictione declaratas fore legitimam, vel legitimas, et non calumniose propositas utrique parti terminum statuant peremptorium octo dierum ad probandum cum effectu quidquid in ipsa causa nunciationis, vel contradictionis voluerint, infra quem, si nuncians non probaverit cum effectu, et dicto termino transacto, illi, cuius est opus, in quo facta est nunciatio, sive ædificandi contradictio, procedendi licentia impartiri possit, et debeat, minatione, vel contradictione aliqua non obstante.

Et nuncians ipse ad damna, et interesse ipsius ædificantis condemnetur, arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consiliariorum duodecim pro tempore existentium.

Sed si nuncians, vel contradicens in dicto termino iura sua probaverit, propter quod nunciatio, vel contradictio legitima videretur, causa ipsius minationis infra octo dies summarie, et peremptorie terminari debeat.

Et si interim ille, cuius est opus, spreta huiusmodi nunciatione, in opere procederet, totum, quod post nunciationem, et contradictionem factum esset, Domini Ca-

pitanei penitus demoliri faciant, lege, vel constitutione aliqua non obstante, et in pœnam vigintiquinque librarum denariorum, pro dimidia Cameræ Communis, et pro alia dimidia adversæ parti applicandarum incurrat, et Capitanei prædicta non servantes pœnam centum solidorum solvere teneantur.

De volentibus facere opus iuxta viam publicam, vel vicinalem, et de occupantibus stratas, et plateas publicas.

Rubrica. XLIV.

Quicumque novum opus ædificare, vel vetus reaptare voluerit iuxta viam publicam, vel vicinalem, teneatur, et debeat in principio operis conducere ad locum Dominos Capitaneos ambos, et ipsorum utrumque coniunctim una cum viarum superstitibus, et una cum Syndicis dicti Communis, et terminari facere locum prædictum iuxta dictam viam per duos de Antiquioribus, et legalioribus contratæ, ita quod ipsa via non capiatur.

Declarantes, quod prædicta locum etiam sibi vindicent in occupantibus aliquas plateas, vias, vel stratas publicas positas in Terra Sancti Marini, et in quacumque parte eius Curiæ, et districtus, cum prohibitione quod in eis, vel super eas nihil penitus construi, vel ædificari possit.

Et qui in prædictis, vel quolibet prædictorum contrafecerit, solvat vice qualibet centum solidos Communi.

Et quilibet accusare possit, et habeat accusator quartam partem pœnæ.

Et nihilominus totum, quod contra prædicta fuerit ædificatum, de facto cogatur occupator prædictus in totum restituere, ac relaxare, et ædificium statim in totum demolire, et destruere, etiam personaliter coerceatur.

Addentes, quod in qualibet Capella dictæ Terræ, et eius Curiæ, et districtus superstites ad prædicta facienda eligi debeant, qui prædicta denunciare teneantur, sub pœna quinquaginta solidorum pro quolibet, et vice qualibet, si in prædictis negligentes extiterint.

Addentes etiam, quod prædicta omnia procedant in quocunque stratas, et vias publicas, ac plateas prædictas occupante quomodocumque, seu impediente stratas, vias, ac plateas prædictas.

Volentes quod contrafacientes, præter pœnam prædictam in quolibet prædictorum casuum, teneantur suis proprijs

impensis omnia prædicta aptare, et in pristinum statum reducere. Vicini autem quicumque teneantur sub iam dicta pœna dictas stratas, vias ac plateas ita manu tenere, quod idoneæ, ac sufficientes existant ad libere per eas pertranseundum, etiam cum bestijs onustis cuiuscumque generis.

Et ubi super latitudine viæ existentis in Territorio, et districtu, ac Comitatu Terrae praedictae dubium verteret, declaretur, ac statuatur via in directum per octo pedes communes, et in anfractum duodecim pedum, in locis, in quibus cum birocio, seu curru pertransiri consuevit.

Alibi vero sit arbitrio superstitum praedictorum.

Quae omnia Domini Capitanei praecise observari faciant, cum accessu etiam ad locum, ubi fuerint requisiti, et ad requirentis petitionem.

De poena repetentium debitum iam solutum.
Rubrica XLV.

Ut tollatur omnis materia atque malitia repetendi debitum, vel rem iam solutam, vel restitutam, statuimus, et ordinamus, quod quandocumque terrigena, vel forensis vigore alicuius praecepti, vel instrumenti, vel alterius cuiuscumque probationis, vel aliquo alio praetextu ausus fuerit contra aliquem, seu ab aliquo debitum iam solutum, vel rem restitutam repetere, et per illum a quo dictum debitum, vel res petitur, probata fuerit legitime solutionem, vel restitutionem ipsam creditori, vel alteri pro eo factam fuisse, quod petens debitum, vel restitutionem praedictam per Dominos Capitaneos Terrae Sancti Marini in tanta quantitate condemnetur quanta esset quantitas per eum petita, vel in quantitate extimationis rei, quam petierit, cuius condemnationis medietas communi, alia vero medietas illi applicetur, a quo dictas res, vel debitum petebatur.

De iuramento Iudaeorum.
Rubrica XLVI.

Cum contingat saepe numero Iudaeum iurare debere super aliqua lite, causa, vel controversia, et de forma ipsius iuramenti dubitetur interdum, volumus, et hac perpetua lege sancimus, quod quotiescumque Iudaeus, vel Iudaei iurare deberent de veritate dicenda in causa, lite, vel controversia aliqua, Domini Capitanei, coram quibus iuramentum prae-

stari debet, exhibeant scripturas hebraicas legis veteris sacrarum paginarum, et super ipsis manu tactis scripturis Iudaei praedicti iurare teneantur. Et huiusmodi iuramentum sic per eos praestitum pro legitimo habeatur.

De poena resistentis Baiulo suum officium exercenti. Rubrica XLVII.

STATUIMUS, et ordinamus, quod si quis Plazario, seu Baiulo communis eum pignorare volenti contradixerit, et se pignorari non permiserit, solvat communi pro pœna pro qualibet vice solidos viginti denariorum.

Et si pignus iam per dictum Plazarium captum ab eodem abstulerit, aliudve quodpiam in praedictis eidem impedimentum praestiterit, quo minus suum officium exercere possit, in centum solidis pro qualibet vice puniatur.

De laboratoribus terrarum, et quomodo eas colere, et laborare teneantur. Rubrica XLVIII.

LABORATOR, vel colonus quicumque terram ad laborandum a quovis acceperit, vel conduxerit in Terra, vel Territorio, seu districtu Sancti Marini teneatur ipsam terram si debet esse magiatica, bene, ac diligenter laborare, et congruis temporibus illam colere prout quilibet bonus laborator, ac colonus facere debet, rumpendo, refringendo, ac eam de bono, et puro semine serendo.

Et omnes segetes, quae in dicta terra reperientur, mundare, et toties purgare debeat a malis herbis quoties opus fuerit.

Et Domini Capitanei dictae Terrae eosdem laboratores, seu colonos, omni iuris ordine, et solemnitate, ac appellatione, et petitione ex gravaminis praetextu quocunque praetermissis, compellere teneantur ad solvendum locatori pro emendatione, et sui damni satisfactione, ac interesse, id quod per Dominos Capitaneos praedictos declarabitur infra decem dies a die condemnationis fiendae de laboratore praedicto numerandos.

Teneatur etiam quilibet laborator, seu colonus, qui alienas possessiones ab aliquo ad laborandum conduxerit, sive super inde

instrumentum factum, et celebratum fuerit, sive non, ante conductionis tempus completum pendentibus fructibus in dictis possessionibus, si eas amplius laborare, et colere noluerit, domino denunciare, sive ipsarum locatori, quod de cetero eas amplius laborare non intendit.

Alioquin intelligatur, et dicatur, auctoritate praesentis statuti eas reconductas pro tanto tempore, pro quanto, et prout, primo iam conduxerat, per inde, ac si vere conduxisset, si tamen ita locatori praedicto, vel eius heredibus placuerit.

Teneatur insuper laborator quilibet, et colonus qui alienas Terras ad laborandum conduxerit remolire, et cavare, et cavata, et remolita tenere omnia, et singula possessionum fossata, quas conduxerit, ubi tamen dicta fossata consueta sunt fieri, et quoties opus fuerit.

Et si praedicta facere omiserit, condemnari debeat quicunque is fuerit pro quolibet, et vice qualibet, in damnis, et interesse possessionis praedictae ipsi domino persolvendis arbitrio Dominorum Capitaneorum pro tempore existentium.

Teneatur praeterea laborator, seu colonus praedictus, qui alienas possessiones ad laborandum accepit, tempore messium cum fructus secantur, et capiuntur, si Domino placuerit, qui eas locavit, covos, et segetum fasciculos, et fructuum praedictorum portionem dividere, et de eis duas facere partes, et illi electionem dare, qui eas locavit, vel suo nuncio, vel suis heredibus capiendi, quam de dictis partibus voluerit.

Et quamcumque ex dictis portionibus dictus locator, vel eius nuncius, vel heredes acceperint, teneatur dictus laborator, vel colonus eadem die, vel sequenti ad voluntatem locatoris covos, sive fasciculos praedictos in quacumque parte possessionis conductae positae fuerint, portare, seu portari facere ad voluntatem dicti locatoris, vel eius nuncij, vel heredum ad locum, quem dictus locator, seu eius nuncij, vel heredes elegerint, dummodo non longius eligant, quam foret area ad quam ipse laborator conduxisset, si covos, vel fasciculos praedictos non divisisset, et de eis metas facere teneatur.

Quod si praedicta facere denegaret, vel cessaret, condemnari debeat per Dominos Capitaneos pro quolibet, et qualibet vice, et pro quolibet birocio, seu curru covorum in viginti solidos locatori, vel eius heredibus dandos pro suorum damnorum emendatione.

Teneatur quoque laborator quilibet praedictus cum metere voluerit, omni die metas facere, et metas, quas meti, et secari fecerit eadem die in praesentia dicti locatoris, vel eius nuncij connumerare, adeo quod covi de

nocte in agro non remaneant si ita locatori videbitur.

Teneatur etiam quilibet laborator, et colonus cum ad aream covos exportare voluerit, vel eos triturare, vel blada ex area extrahere, ipsas metas, seu covos ex metis non amovere, vel exportare, nec eos triturare, vel blada ex area extraere, vel amovere, nec etiam dicta frumenta, et blada cuiuscunque generis secare, nisi locator, vel dominus possessionis praedictae, vel possessionum praedictarum, vel eius nuncius praesens fuerit, illudve ipsius locatoris sive domini, vel eius heredum voluntate, et ordinatione fuerit.

Si vero aliquis laborator, vel colonus, in praedictorum aliquo contrafecerit, ac frumenti, seu segetum aliquam portionem sine licentia, ac consensu domini trituraverit, et in suos usus converterit, Communi Sancti Marini pro quolibet, et qualibet vice in solidos centum condemnetur, et nihilominus locatori, vel suis heredibus ad damnorum, et interesse emendationem teneatur arbitrio Dominorum Capitaneorum declarandam, etc.

De laboratoribus vinearum.

Rubrica XLIX.

Quilibet etiam, qui aliquam vineam, vel cannetum ad laborandum ab aliquo conduxerit ipsam teneatur bene, et congruis temporibus, laborare, scilicet potare, levare, palmare, propaginare, affossatare, et ipsam vineam, et cannetum bene, et diligenter fodere, et ligonizare, et clausam tenere.

Et praedicta omnia facere teneatur antequam in suis vineis, et cannetis laboreria faciat.

Teneatur etiam laborator praedictus ipsam vineam, et cannetum ad voluntatem ipsius locatoris, et ipsius heredis vindemiare, laborare, et uvas colligere, et medietatem vini puri, et medietatem vinaciae locatori dare.

Quod si laborator praedicta facere cessaverit, vel recusaverit, condemnari debeat in tribus libris denariorum pro qualibet tornatura vineae, et canneti Camerae Communis pro dimidia applicandis, et pro alia dimidia domino rei pro suis damnis, et interesse.

Et praeter praedicta, si conductor ipse non laboraverit, ut supra, potaverit, vel palmaverit, nihil ipse laborator de fructibus inde perceptis habere debeat.

Si vero predicta omnia fecerit, sed non ligonizaverit, quartam

partem vini, et fructuum tantummodo ipse laborator habeat, et tres partes Dominus possessionis antedictae.

Cannetum vero si non ligonizaverit in totum nihil cannarum conductor ipse habere debeat.

Si vero ipse laborator aliquam partem vineae, vel canneti ligonizaverit, partem ex fructibus pro rata vineae, vel canneti habeat, secundum quod ligonizaverit.

Non possit praeterea aliquis laborator, nec debeat, qui aliquam vineam, vel cannetum conduxit ad laborandum, ipsam vineam alteri laboratori ad laborandum dare, nec sublocare.

Nec etiam possit aliquid in vacuamentis, vel apertis dictae vineae, vel canneti seminare sine domini, vel locatoris expressa licentia, et si contrafecerit per Dominos Capitaneos in solidos quinquaginta denariorum pro qualibet vice debeat condemnari, et locatio ipsa ipso iure non valeat, immo sit nulla, et nullius roboris, et valoris.

Teneatur etiam laborator praedictus vineam ipsam vindemiare, et vinum ex uvis spremere, et svinare debitis, et congruis temporibus.

Et cannas a canneto incidere, et fasciculos ex eis in praesentia locatoris, vel eius heredum, vel nuncij facere.

Et si aliter fecerit, per Dominos Capitaneos in solidos vigintiquinque pro qualibet vice, et quolibet praedictorum debeat condemnari.

Teneatur insuper locator praedictus qui in conductione persistere non voluerit, hoc expresse domino, seu locatori, vel eius heredibus denunciare, et protestari tempore vindemiarum. Alioquin praesumatur auctoritate praesentis statuti ipsum laboratorem dictam vineam, vel cannetum pro tantundem temporis reconduxisse si ita domino, vel locatori placuerit.

De probatione filiationis, et consanguinitatis per famam.

Rubrica L.

Statuimus, et ordinamus, quod ad plenam probationem, quod aliquis sit, vel fuerit filius, vel filia, frater, vel soror, nepos, vel neptis alicuius publicam famam, et vocem esse in contrata probare sufficiat, ubi habitat, seu habitare consueverat ille, de cuius filiatione, fraternitate, seu consanguinitate tractatur, per duos testes bonae conditionis, vitae, et famae.

Et idem dicimus de omnibus alijs descendentibus, et ascendentibus in infinitum.

Addentes quod si quis, vel si qua negaverit in iudicio aliquem, vel aliquam esse, vel fuisse patrem, matrem, filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, et id per famam, ut supra, probabitur, cadat in pœnam centum solidorum Communi applicandorum, si negans perseveraverit in eius negatione usque ad terminum partibus datum ad probandum.

In alijs vero descendentibus pœna praedicta sibi locum non vindicet, sed probatio per famam sufficiat.

De excussione bonorum, et qualitate possessionum.
Rubrica LI.

Statuimus, et ordinamus, quod si executor datus ad executionem alicuius instrumenti cum praecepto, vel testamenti, vel sententiae interlocutoriae, vel diffinitivae, vel cuiuscunque alterius executionis per Dominos Capitaneos retulerit se non invenisse bona aliqua expedita illius contra quem fit executio, habeatur dicta relatio pro plena bonorum excussione, et tunc agi possit hypothecarie contra possessores bonorum praedicti, contra quem fit executio.

Et si aliquis executor aliquam tenutam, vel possessionem pro expedita daret, quae ab aliquo possideretur, ipsa possessionis, vel tenutae datio ipso iure non valeat non requisito domino possessore legitime.

Et super hoc summarie procedatur, sine strepitu, et figura iudicij.

Et sufficiat possessori probare se possidere tempore dictae dationis, vel ante per mensem, vel annum non apparente alio possessore legitimo.

De summaria cognitione in causis Communis peregrinorum, ac miserabilium personarum.
Rubrica LII.

Quoniam subditorum favoribus addesse intendimus, et eorum lites abbreviare conamur, statuimus, quod Domini Capitanei Terrae Sancti Marini omnes, et singulas lites, et causas infrascriptas videlicet, pauperum, et miserabilium personarum, quas tales esse Iudicis arbitrio, et conscientiae relinquimus, ac etiam dotium mulierum, rerum Ecclesiasticarum, Hospitalium, Fraternitatum, et Communis Sancti Marini summa-

rie, simpliciter, de plano, et sine strepitu, et figura iudicij, infra triginta dies, a prima citatione computandos, audiant, terminent, et decidant, in scriptis, et sine scriptis pro libito eorum voluntatis.

Item in causa damni infecti, et operis novi nunciationis, ac etiam in causis, et controversijs de fluminibus, et terminis, de muris communibus, et itineribus, et vijs, de aquaeductu, de tignis, de glande, et de fructu legendo, vel de arboribus in confinio positis, de muro reficiendo, de molendinis, de grundis, et subgrundis, de proiectis, et stillicidijs, de fenestris, de aspectu, de pontibus, de foveis reficendis, de sequestris fiendis, eorumque occasione, et de alijs quibuscumque similibus, (quae autem similia dicantur, Iudicis arbitrio relinquimus,) de usufructu, de usu, de habitatione, de superficiebus, de cursu aquarum, et de similibus alijs servitutibus Domini Capitanei Terrae Sancti Marini, coram quibus, aut eorum altero, lis, quaestio, seu quaerimonia, aut requisitio fieret, procedere, et cognoscere, ac terminare possint, valeant, teneantur, et debeant summarie, simpliciter, de plano, sine strepitu, et figura iudicij, ac etiam terminis, seu solemnitatibus iuris, et statutorum non servatis, sine aliquo processu si eis videbitur, sola facti informatione habita, inspecta, et considerata.

Et possint, si expedire viderint, praedicta oculis proprijs inspicere, et partes, inter quas de praedictis quaestio orta fuerit, vel controversia, cogere ad faciendum compromissum, in unum, vel plures de iure, vel de facto, coniunctim, vel divisim, ac etiam magistros eligere ad videndum praedicta inxta artis suae peritiam.

Quae partes si neglexerint, aut compromittere recusaverint, aut Magistros, seu Arbitros ad hoc eligere respuerint, possint cum eis, vel eorum altero, vel etiam sine, huiusmodi controversiam, ut praedicitur, terminare.

Et quicquid in praedictis, et circa praedicta Domini Capitanei declaraverint, secundum declarationem, vel consensum huiusmodi arbitrorum, seu magistrorum, in casu, quo assumpti fuerint, vel ipsi soli, deficientibus ipsis, huius statuti auctoritate valeat, et teneat.

Et si super inde processus non intervenerit, vel scriptura, nihilominus causa ipsa sub aliquo quovis praetextu non valeat retractari.

Sic tamen Domini Capitanei se se habeant in praedictis, quod infra dictos triginta dies continuos, ut supra, talem controversiam debeant terminasse, pœna vigintiquinque Librarum denariorum, statutis quae in aliquo de praedictis temporis metas imponerent, in sua firmitate mansuris.

Similique modo summarie, simpliciter, de plano, et de facto, sine strepitu, et figura iudicij, et sine processu, et scriptura, et omni tempore, etiam feriato, Domini Capitanei possint, et debeant ad instantiam Advocatorum, et Procuratorum pro eorum patrocinijs praestitis suis clientulis, et Notariorum pro eorum scripturis, et laboratorum conductorum ad laborandum, et fabrorum pro eorum mercede, et famulorum, seu famularum, et causas laboreriorum, et operum cuiuscunque qualitatis, quantitatis, et extimationis existant, pro ipsorum salario, et mercede, sola facti visa veritate, personaliter in domo Communis detinere clientulos ipsos, patronos, et eos, qui ad laborandum conduxerint, vel conduci fecerint, ac etiam quoslibet alios, qui quocunque modo obligati sunt ad dicta salaria, et mercedes persolvendum, donec fuerit dictis Advocatis, Procuratoribus, laboratoribus, Notarijs, famulis, fabris praedictis, et alijs, qui huiusmodi salaria, et mercedes recipere tenentur, et debent, integre solutum, et satisfactum de vera sorte, et expensis.

Nec liceat ipsis clientulis, patronis, nec ad laborandum conducentibus, aut alijs supradictis pro praedictis mercedibus, salarijs, patrocinijs, et huiusmodi aliquam tenutam assignare, sed cum effectu actualiter infra terminum Dominorum Capitaneorum arbitrio statuendum solvere teneantur.

Si ipsi debitores comparere neglexerint procedatur ad tenutae acceptionem, et ad eiusdem venditionem de facto ad vocem praeconis usque ad integram ipsius creditoris satisfactionem.

Non obstante statuto de tenutis loquente, quod in praedictis sibi locum non vindicare volumus.

Quae res intelligantur donatae sponsae.
Rubrica LIII.

Si quis post contracta sponsalia de futuro, vel etiam de præsenti uti sponsus portaverit, miseritve ad sponsam, vel ad parentes, fratres, vel sorores, seu alios attinentes ipsius sponsae cincturam non tamen magni pretij, aut similia iocalia, quae tota arbitrio iudicantis remittimus iuxta personarum qualitatem, tam dantis, quam recipientis, haec omnia intelligantur prorsus donata irrevocabiliter inter vivos.

Quæ si excederent, ab inde supra, marito, vel eius heredibus tales mulieres ad restituendum cogi, et compelli debeant, nec donata esse

ipsis creditoribus extiterint. Hoc autem usque ad quantitatem, et pro quantitate decem solidorum tantum, et pro expensis legitimis procedat.

Abinde vero supra tabernarius, si contra terrigenam petierit, non audiatur, sed contra ipsum terrigenam ad creditoris petitionem ordinario iudicio procedatur, ut supra in statuto sub Rubrica de modo procedendi in causis civilibus summam viginti solidorum excedentibus.

Si vero contra forensem petierit, detineatur forensis realiter, et personaliter usque ad integram debiti, et expensarum solutionem, et pro eadem causa simili modo terrigena pro forensi detineatur.

DE FERIIS, ET DIEBUS FERIATIS.
Rubrica LVI.

INFRASCRIPTOS dies feriatos esse decernimus in causis civilibus omnibus, quae coram Dominis Capitaneis, et alijs Iudicibus agitantur, et in quibuscumque alijs causis coram eisdem agitandis, praeterquam in causis primis maleficiorum, et alijs causis, quae ipsis temporibus iure communi agitari permittantur. Videlicet:

Festivitas Nativitatis Domini Nostri IESU CHRISTI cum die praecedenti, et omnibus diebus sequentibus usque ad festivitatem Epifaniae inclusive.
S. Sebastiani.
S. Antonij Abbatis.
S. Agnetis.
Dies Conversionis S. Pauli.
Quinque dies festivitatum Gloriosissimæ semper Virginis MARIAE, videlicet
Purificationis
Nunciationis
Nativitatis
Assumptionis, et
Conceptionis.
S. Blasij.
S. Agathae.
S. Apolloniae.
Dies cineris cum duobus diebus praecedentibus.
Dies festivitatum omnium Apostolorum.

Omnes dies Veneris mensis Martij.
Dies festivitatum quatuor Doctorum Ecclesiae.
S. Benedicti Abbatis.
Festivitas Resurectionis Domini nostri IESU CHRISTI cum septem diebus praecedentibus, et septem subsequentibus.
Dies festivitatum quatuor Evangelistarum.
S. Catherinae.
S. Vincentij.
Omnes dies Dominicales.
S. CRUCIS, tam inventionis, quam exaltationis.
Dies Litaniarum, seu Rogationum.
Dies Ascensionis Domini nostri IESU CHRISTI.
S. Bernardini.
Dies Pentecostes cum duobus diebus sequentibus.
Dies festivitatis Corporis Domini nostri IESU CHRISTI.
S. Quirini.
S. Barnabae.
S. Antonij de Padua.
S. Ioannis Baptistae tam Nativitatis, quam Decollationis.
Visitationis Gloriosae Virginis MARIAE.
S. Margaritae.
S. Mariae Magdalenae.
S. Christofori.
S. Dominici.
S. Laurentij.
S. Rocchi.
S. Clarae.
S. Marini, et eius Vigiliae.
S. Michaelis Archangeli.
S. Francisci.
Festivitas omnium Sanctorum.
Dies Commemorationis omnium mortuorum.
S. Martini Episcopi.
S. Nicolai.
S. Luciae.
S. Thomae de Aquino.

Dies Festivitatis Sancti sub cuius vocabulo est Ecclesia Cathedralis, vel sub cuius Sancti vocabulo Festivitas tanquam capitis, et patroni illius Terrae Populique generaliter, et communiter, ac solemniter celebratur.

Et insuper omnes dies, in quibus messibus, et vindemijs incumbitur ob hominum necessitates, pro eo tamen tempore quo per Dominos Capitaneos fuerit declaratum.

Quod Notarij non possint mercedem recipere pro scripturis a interesse Communitatis spectantibus, et minus Plazarij pro citationibus pro eodem interesse factis.

Rubrica LVII.

Notarii Dominorum Capitaneorum, qui pro tempore fuerint, gratis facere, et complere teneantur, et obbligati sint omnia instrumenta, et scripturas ad Communitatem Sancti Marini pertinentia, et spectantia, sive in causis civilibus, sive in criminalibus, et in quibuscumque alijs negotijs ad dictam Communitatem pertinentibus, nihilque accipiant pro commissionibus, et alijs actis, qui fierent pro reluendis, et exigendis debitoribus Communitatis ad petitionem Massariorum.

Item Plazarij a Massarijs Communis pro citandis debitoribus communis nullam mercedem accipere possint.

Quod salariati ex publico aliquam mercedem pro negotijs Communis peragendis habere non possint.

Rubrica LVIII.

Statuimus, et ordinamus, quod omnes salariati ex publico in dicta Terra Sancti Marini, qui pro Oratoribus, seu Ambasciatoribus, et pro negotijs Communis fuerint destinati, gratis inservire debeant, nec aliquid pro eorum laboribus accipere possint, nisi impensas tantum pro cibis et vecturis equorum.

De rebus emphyteuticis.

Rubrica LIX.

Nullus, cuiuscunque conditionis existat, audeat, vel praesumat rem aliquam in emphyteusim accipere, nec aliquod instrumentum renovationis in se suscipere, iure emphyteutico ab aliqua Ecclesia, vel conventu, seu ab aliquo Domino de quibuscumque possessionibus, et rebus quibuscumque, seu hereditate, de quibus, vel de qua inter aliquas partes quaestio orta esset, sine Dominorum Capitaneorum, et eorum Consiliariorum expressa licentia.

Qui autem in praedictis, seu aliquo praedictorum contrafecerit, omnia iura amittat, quae haberet antequam praedicta in emphyteusim, ut supra, acciperet, et ad partem, sive ad personam, vel personas praedicta omnia spectare, et pertinere debeant, cum qua, vel quibus litem habebat, antequam praedicta omnia, ut supra, in emphyteusim acciperet, cui parti teneatur huiusmodi accipiens omnia iura cedere, et dare, quæ in dictis rebus, seu hereditate habebat antequam litem cum altero, ut supra, haberet, et nihilominus dicta persona, vel personæ, quæ huiusmodi res in emphyteusim, ut supra acceperint, solvant pro pœna Communi Sancti Marini libras quinquaginta denariorum, cassantes, annullantes, irritantes omnes leges, statuta, et provisiones in contrarium disponentes.

Volentes quod prædicta locum habeant in præteritis, præsentibus, et futuris.

Nullus insuper, ut supra, audeat, vel præsumat in emphyteusim accipere aliquam rem, bona, possessiones, vel hereditatem, et illarum renovationem petere per se, vel alium directe, vel indirecte ab aliqua Ecclesia, vel Conventu, seu ab aliquo Domino, vel Syndico Communitatis Sancti Marini, sine licentia, consensu, ac voluntate Dominorum Capitaneorum, et suorum Consiliariorum, vel maioris partis eorum, de qua quidem licentia pateat scriptura, ne veritatis occultatione aliquis valeat id in emphyteusim accipere, vel de eo renovationem petere, quod iure ad eum non spectaret, nec pertineret.

Pœna cuilibet contrafacienti medietatis æstimationis eius, vel eorum, quod in emphyteusim acceperit, vel de quo renovationem, ut supra, petierit.

Et nihilominus ipsa concessio, et renovatio sit ipso iure nulla, non obstante aliquo iure, vel lege contrarium disponente.

Et hoc casu res accepta, et renovata cum omni suo iure ad illum revertatur, qui antea rem prædictam possidebat.

Et insuper Domini Capitanei habita fide summarie, et sine Scriptura, quod alius rem prædictam sic concessam tenebat, et possidebat tempore dictæ concessionis, teneantur vinculo sacramenti, et sub pœna quinquaginta librarum denariorum reponere in possessionem huiusmodi rei de facto illum, qui antea tenebat, vel possidebat, et ipsum sic repositum, et restitutum, in dicta possessione manu tenere, et conservare.

Si vero aliqua concessio, vel renovatio de præterito facta reperiretur, sit ipso iure nulla, nec ea, vel alia fienda contra formam præsentis Statuti agi, vel excipi possit, sed teneantur Domini Capitanei, ut supra dictum est, antiquum possessorem, et qui tempore dictæ concessionis, et renovationis possidebat, restituere, et in dictæ rei possessionem reponere, et manu tenere sub dicta pœna.

Salvo tamen, quod si ille, qui renovatus fuit, vel in posterum renovari contingerit contra formam præsentis Statuti, haberet aliquod aliud ius præter ius dictae renovationis in re sic renovata, quod huiusmodi ius sit ei salvum, et proponere possit contra possessorem dictæ rei, cui iuri, nullo modo per præsens Statutum in aliquo derogetur.

Et locum habeat in præsentibus, præteritis, et futuris.

De compromissis. Rubrica LX.

Si aliqua quæstio, lis, differentia, vel controversia oriretur, vel esset inter coniunctas personas, vel affines usque ad quartum gradum inclusive secundum iura Canonica computandum de quacunque re, vel causa orta, vel oriunda.

Item inter aliquam miserabilem personam, ut viduas, pupillos, orphanos, et alias pauperes, et miserabiles personas.

Item inter muratores, et artifices super eorum mercantijs, et artificijs, et connexis, et dependentibus ab eisdem, vel eorum occasione.

Item inter stipendiarios super contradictis, et factis, vel gestis in stipendio, seu in expeditione militari, vel dependentibus ab eisdem, vel eorum occasione. Item inter consortes, socios, seu partiarios quorumlibet bonorum communium super divisione, et partitione eorum fienda inter eos, et connexis, et dependentibus ab eisdem, vel eorum occasione.

De quibus omnibus personis, vel causis si dubitatio orta fuerit, sive orietur an comprehendantur sub praesenti statuto compromissi fiendi, vel non, stetur declarationi, et decisioni

Dominorum Capitaneorum. Qui infra tres dies a die factae exceptionis, negationis, seu allegationis compromissi fiendi, debeant declarasse, an compromissum sit fiendum, vel ne, sub pœna quadraginta solidorum pro quolibet Capitaneo, et qualibet vice, pro medietate Cameræ Communis, et pro alia dimidia parti offensæ, et interesse habenti applicanda si infra tres dictos dies non declaraverint.

Et sufficiat unam ex personis supra nominatis, vel qualitatem ipsius concurrere ex una parte tantum, ut sit, et esse possit locus dispositioni præsentis statuti de compromisso fiendo.

Compellantur autem per dictos Dominos Capitaneos, coram quibus lis, quæstio, vel controversia verteretur, præcise partes ipsæ cum effectu omnibus iuris remedijs realiter, et personaliter, et per mulctas, et condemnationes usque in quantitatem quinquaginta librarum, ad requisitionem alterius partis infra octo dies post ipsorum requisitionem ad compromittendum, et compromissum faciendum sub pœna prædicta de facto ab eisdem Capitaneis auferenda de eorum salario, et Cameræ Communis applicanda, omni exceptione, et petitione consilij sapientis, et appellatione, quæ fieret a pronunciatione, seu præcepto de fiendo compromisso in omnibus prædictis casibus penitus remotis. Dum tamen ipsa requisitio, et petitio fiat ante terminum datum ad probandum in causa, post quem terminum nulla pars possit ulterius in dicta causa ad compromissum cogi. Et in dicto termino, ut prædicitur, compellantur partes ad eligendum arbitros, et arbitratores, ita quod quælibet pars possit, et debeat eligere unum pro parte sua alteri parti legitime non suspectum, quæ suspicio arbitrio Capitaneorum relinquatur, nec non ad eligendum tertium arbitrum, et arbitratorem communem a principio simul, et semel cum dictis arbitris, et arbitratoribus, ita ut omnino tertius eligatur, nisi de uno solo arbitro, et arbitratore partes ambæ fuerint concordes.

Et si partes ipsæ in eligendo tertium non fuerint concordes per Capitaneos tertius unus partibus non suspectus eligatur.

Et in ipsos arbitros, et arbitratores, ut præfertur electos ad faciendum compromissum de iure, et de facto, et de veritate, et de æquitate, omni iuris solemnitate, et substantialitate ommissa, partes ipsae cogantur.

Qui arbitri, et arbitratores, et tertius prædicti dictas quaestiones terminare, et finire adstringantur infra duos menses proximos a die facti compromissi, sub pœna librarum decem pro quolibet eorum Camerae Communis applicanda, in quam ipso iure incurrisse intelligantur.

Et nihilominus elapso dictorum duorum mensium spatio, si dictas quaestiones non terminaverint, per Dominos Capitaneos rea-

liter, et personaliter etiam incipiendo a detentione personae compellantur infra alium mensem dictas quaestiones, et differentias terminare.

Et sententia, arbitramenta, et lauda praedictorum arbitrorum, et arbitratorum, et tertij, vel maioris partis, etiam minori parte contradicente, vel appellante, requisita tamen, valeant, et teneant, et executioni mandentur ad voluntatem eius, in cuius favorem latae fuerint, realiter, et personaliter, Iudicis officio, omnibus iuris remedijs, omnique appellatione, et nullitate, ac omni defensione, et omni exceptione remotis, sub pœna praedicta, de facto Iudici negligenti talem executionem facere auferenda.

Salva tamen in integrum restitutione minoribus quatuordecim annis super qua procedatur, ut infra de minoribus reclamantibus, et recursum habentibus.

Et praedicta omnia, et singula locum habeant in compromissis factis, vel fiendis in absentia Capitaneorum nulla coactione, seu mandato ipsorum praecedente de eo fiendo.

Nulla tamen mulier, seu eius filius, vel filia vigore praesentis Statuti compellatur compromittere litem, quaestionem, seu discordiam, quam haberet pro dote sua, seu occasione dotis suae, vel pro legato sibi facto pro dote, vel occasione dotis, vel ipsius augumento, vel etiam donationis propter nuptias.

Nemo etiam per aliquod praedictorum cogi possit ad compromittendum in genere, vel in specie de aliqua re, super qua fuisset lata sententia, quae transivisset in rem iudicatam, vel quae esset, seu haberet instrumentum quarentigiatum, seu confessionatum, vel appareret praeceptum in confessum secundum formam Statutorum dictae terrae, vel depositi, testamenti, vel alterius ultimae voluntatis, seu laudi, vel arbitramenti, semel lati, quod transiverit in rem iudicatam, nec et de causis in quibus esset decursa praescriptio legitima, legalis, seu iuris communis.

Nisi tamen pars se fundans ex testamento, et alijs supra dictis, vellet per viam praesentis Statuti procedere, quod sibi licere volumus.

Et quod secudum formam praesentis statuti possit compromissum fieri semel, et pluries, et toties quoties fuerit opportunum, donec quaestiones, et controversiae sic compromissae fuerint terminatae, et decisae.

In quibus petitionibus, si pluries fieri contingerint, omnia, et singula praedicta in prima petione expressa servari debeant sub iisdem modis, et temporibus, ac pœnis, ut supra expressis.

Et quilibet negans parentelam, cuius praetextu compromissum fieri peteretur, condemnetur de facto in decem libris denariorum,

si postea quattuor saltem testibus per famam fuerit probata.

Qui arbitri, et tertius sicut praefertur electi cogantur per Dominos Capitaneos iuris remedijs opportunis ad dictum compromissum accipiendum, sub pœna quinque librarum Camerae Communis applicandarum de facto, et per personarum detentionem.

Nisi iusta causa infirmitatis, absentiae, vel paupertatis, videlicet quod non haberent in bonis valorem centum Librarum denariorum, vel quod haberent duo arbitramenta pendentia, vel essent Officiales Dominorum Capitaneorum dictae Terrae, vel Castrorum eiusdem, vel alterius iusti impedimenti fuerit allegata causa, et probata, quo casu, debeant dicti Domini Capitanei summarie de ea cognoscere, et infra tres dies terminare a die dictae recusationis, et exceptionis factae, et de alio eligendo, si oportuerit, providere, omni alia exceptione, et appellatione remotis.

Si autem aliqua pars sentiens se laesam a dicto laudo recursum habere voluerit, possit infra quinque dies proxime venturos, a die primi laudi lati numerandos, et scientiae habitae laudi praedicti, adire Capitaneos, et se gravatum proponere, et iterum compromissum fieri petere.

Quo casu Domini Capitanei teneantur, et debeant iterum cogere dictas partes infra alios quinque dies a die habiti recursus, et petitionis factae ad dictum compromissum de novo faciendum, modo, et forma, arbitrio, et pœna, et qualitatibus in dicto primo compromisso expressis, super dicta laesione, et revisione dicti laudi.

Quod duret, et durare debeat per unum mensem, et infra dictum terminum cogant dictos Arbitros, et tertium super eo declarare, et laudare.

Et quod laudatum, et diffinitum fuerit, effectualiter per Dominos Capitaneos omnibus reiectis exceptionibus executioni demandetur.

Et si contigerit dictum secundum laudum, per dictos arbitros, et arbitratores, et tertium unum, vel plures latum vel ferendum, fuisse, et esse contrarium laudo primo lato, vel ab eo discordare, adeo quod non fuerit conforme, pars contra quam latum fuerit, iterum revideri per alios arbitros, ut supra, infra tres dies a die laudi lati numerandos petere possit, et valeat.

Et hoc casu teneantur Capitanei cogere partes iterum ad dictum compromissum fiendum, infra alios tres dies, modo, et forma, arbitrio, et qualitatibus, ac pœnis suprascriptis, et in singulis capitibus repetitis.

Quod tertium compromissum duret tantum per viginti dies proxime venturos a die quo factum fuerit, computandos, infra quem terminum compellantur arbitri, et arbitratores praedicti omnibus remedijs opportunis, etiam

per detentionem personarum, diffinire, et sententiare super dicta revisione, et latis laudis, sub pœnis praedictis, tam Capitaneis quam arbitris, et arbitratoribus imponendis.

Et quod per dictos arbitros laudatum, vel declaratum fuerit omnibus exceptionibus, defensionibus, apellationibus, et contradictionibus remotis, exequatur omnino ita, ut deinde nullus ulterius audiatur.

Et praedicta omnia locum habere intelligantur, et habeant, etiam in causis pendentibus, in quibus nondum processum fuerit ad dationem termini ad probandum, ut supra.

Qui tamen arbitri, et arbitratores debeant habere pro suo salario a partibus compromittentibus, videlicet a qualibet parte, si lis fuerit ab uno ducato supra usque ad vigintiquinque libras, solidum unum pro qualibet libra.

Ab inde vero supra usque ad centum libras, sex denarios pro qualibet libra.

Et ab inde supra quantacunque fuerit quantitas quatuor denarios pro qualibet libra, dummodo non excedat duos ducatos, et si tertius intervenerit, dictum salarium inter eos aequaliter dividatur.

Et si Capitanei negligentes fuerint in condemnando, et exigendo dictas pœnas incurrant pœnam solidorum centum denariorum de eorum salario auferendorum, non derogando per praesens statutum alteri statuto posito sub Rubrica de summaria cognitione causarum quod remaneat in suo robore.

Quod legata per uxorem marito computentur in lucro provveniente ex forma statuti.

Rubrica LXI.

Statuimus, et ordinamus, quod legata facta per uxorem marito in testamento, vel codicillis, vel aliter donata causa mortis, computentur in parte lucri, quam facit maritus ex bonis uxoris ex forma statuti loquentis, quod maritus lucretur tertiam partem dotis.

prout in Consilio generali nostrae Terrae Sancti Marini alias obtentum fuit, quod de cetero filiae fœminae, et descendentes ex eis per lineam fœmininam ad successionem patris, et aliorum ascendentium per lineam paternam ab intestato defunctorum non admittantur, extantibus filijs masculis, vel nepotibus per masculinam lineam descendentibus ex eisdem, quibus ipsi solum succedant, dummodo dictae fœminae congrue, et competenter dotatae fuerint, aut dotentur de bonis parentum praedictorum, a quorum successione, et hereditate dicantur exclusae secundum facultatem patrimonij, et quantitatem bonorum, seu qualitatem, et conditionem personarum, usque saltem ad earum quantitatem legitimae.

Et praedicta intendantur, et locum habeant in praesentibus, et futuris.

De recipientibus arras.
Rubrica LXV.

Quicumque receperit, vel dederit arras occasione alicuius mercaturae, teneatur dictam mercaturam adimplere.

Alias solvat pro banno duplum dictarum arrarum, et nihilominus ipsam mercaturam adimplere teneatur.

Quod venditor teneatur invitare tenentem a duobus lateribus.
Rubrica LXVI.

Statuimus, et ordinamus, quod volens vendere aliquam rem immobilem in Curia, vel districtu Sancti Marini teneatur invitare proximiorem vicinum tenentem a duobus lateribus iuxta rem venalem, et eidem volenti emere dictam rem venalem vendere cogatur pro eodem pretio, quod ab alijs reperierit: alias venditio non facta dicta requisitione sit ipso iure nulla, et inutilis quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Declarantes quod attinentes illi, et vicini proximiores invitari debeant, qui pro maiori latitudine, et mensura attinent.

Et si duo, vel plures pro aequali mensura attinuerint sit in electione vendere volentis, cui praedictorum vendere maluerit nisi unus ex eis a pluribus lateribus attineret quo casu ceteris præferatur.

Et ordine successivo requirantur alij iuxta maiorem attinentiam.

STATUTORUM

De taxationibus instrumentorum, et testamentorum.

Rubrica LXVIII.

Ne homines valeant ultra modum pro extractione instrumentorum, et testamentorum aliarumque ultimarum voluntatum pergravari, salubriter praesenti statuto firmamus, quod Notarij a Sancto Marino, et eius Comitatu, fortia, et districtu, et alij quoque forenses ibidem, et alibi commorantes pro eorum mercede pro dictorum instrumentorum, et testamentorum restitutione recipere debeant infrascripta salaria, et non ultra, videlicet:

Pro quolibet contractu, sive instrumento ascendente ad quantitatem vigintiquinque Librarum, vel ab inde infra, solidos octo.

A vigintiquinque libris supra usque ad quinquaginta, bononenos duodecim.

A quinquaginta supra usque ad centum, solidos sexdecim.

A centum supra usque ad ducentas, solidos viginti.

A ducentis supra usque ad quingentas, solidos quadraginta.

A quingentis supra usque ad mille, solidos quinquaginta.

A mille supra quantacunque fuerit quantitas, sive summa, libras quatuor.

Et pro quolibet instrumento renovationis secundum consuetudinem hactenus observatam.

Et hoc quando omnia praedicta instrumenta sunt in forma communi.

Si autem formam communem excederent, habeant, et habere possint ultra dictam taxam pro quolibet instrumento singula singulis referendo usque ad quartam partem ultra quantitatem praedictam.

De testamentis vero, seu alijs ultimis voluntatibus, debeat haberi consideratio ad valorem, et extimationem haereditatis, et scripturae, quibus consideratis, Notarius pro publicatione salarium, et mercedem in hunc modum recipere debeat, videlicet:

Pro testamento, vel alia ultima voluntate, cuius haereditatis valor sit centum librarum, vel ab inde infra, solidos sexdecim.

Ab inde supra usque ad ducentas libras, solidos vigintisex.

Ab inde supra usque ad quadringentas libras, solidos quadraginta.

Ab inde supra usque ad sexingentas, libras tres.

Ab inde supra usque ad octingentas libras, solidos septuaginta.

Ab inde supra usque ad mille, libras quatuor.

Ab inde supra usque ad mille ducentas, libras quatuor cum dimidia.

Ab inde supra usque ad mille quadringentas, libras quinque.

Ab inde supra quantacunque fuerit quantitas ducatos duos aureos, nisi inter partes, et Notarium conventum fuerit.

De causis expediendis, et eorum instantia.

Rubrica LXIX.

STATUIMUS, et ordinamus, quod in causis civilibus, et civiliter motis, ac intentatis, Domini Capitanei illas expedire teneantur infra octoginta dies utiles per sententiam absolutoriam, vel condemnatoriam.

Et si infra dictum tempus dictas causas non expediverint, instantia causarum praedictarum prorogata intelligatur ad decem dies.

In quo tempore si dictae causae expeditae non fuerint lapsu instantiae, peremptae intelligantur.

Si vero negligentia, et facto Capitaneorum perierint, pœnam quinquaginta Librarum ipso facto incurrant, Camerae Communis applicandarum pro quolibet, et qualibet vice.

Et nihilominus teneantur ad refectionem damnorum, expensarum, et interesse parti laesae ipso facto.

Quae locum sibi vindicent, hoc casu expensarum, et interesse, ut supra, etiam si partis neglientia instantia perierit, quibuscumque non obstantibus.

De ementibus in mercato, seu in nundinis.

Rubrica LXX.

EMENTES bestias, vel alias res mobiles in Mercato, vel in nundinis consuetis Terrae Sancti Marini publice, et palam, licet res emptae ad alium spectent, propter hoc non teneantur ad earum restitutionem, nisi prius ementibus pretium per eos solutum restituatur, et ille sic publice emens praesumatur bonae fidei emptor.

De libris mercatorum, et artificum, et quanta sit eis fides adhibenda. Rubrica LXXI.

Statuimus, et ordinamus, quod libri mercatorum, et artificum Communis Terrae Sancti Marini, et eius Comitatus, vel districtus, si fuerint intitulati, et approbati per Capitaneos, et Consilium duodecim dictae Terrae, nec non bullati bullo, et sigillo Communis Terrae praedictae cum numeratione cartarum sigillatim a principio usque ad finem, et pure, ac legaliter absque ulla fraude, et absque ullis additionibus, seu remissionibus, habeant fidem, et eis, et cuilibet partitae credatur, solum, et dumtaxat usque ad quantitatem unius scuti in totum, cum iuramento tamen deferendo dicto mercatori, seu artifici tempore approbationis, et intitulationis dicti libri per dictos Capitaneos, et Consilium.

A scuto vero supra, usque ad quantitatem decem librarum cum subscriptione unius testis fide digni similiter credatur.

Ab inde vero supra quantacumque fuerit quantitas, dummodo in eo, vel in eis appareat subscriptio propriae manus debitoris, ut supra se debitorem facientis; vel subscriptio duorum testium fide dignorum, et summam in libro contentam, et descriptam approbantium, similiter credatur.

Quod creditores Communis post triennium non audiantur. Rubrica LXXII.

Ne iura Communis Terrae Sancti Marini sint diu in suspenso, cum eveniat quandoque ob temporis vetustatem [illegible] nullos asserentes se esse creditores dicti Communis saepius [illegible] satisfactos fuisse, et propter ipsius temporis longinquitatem [illegible] possit neque valeat per ipsum Commune probari, ad obviandum fraudibus, et ad tollendam malignandi occasionem ve[illegible] dictum Commune, statuimus, et ordinamus quod quicum[illegible] ex qualibet ratione, vel causa creditor esset, vel cons[illegible] deberet a Communi praedicto quamcumque pecuniarum q[illegible]titatem, vel aliam quamcumque rem, debeat infra [illegible] menses a die contracti debiti numerandam, se describ[illegible] cere creditorem in libro dicti Communis per Cancellarium [illegible] ctae Terrae pro tempore existentem, et infra annum, [illegible] pra incipiendum, et finiendum debeat bulleetam suf [illegible]

STATUTORUM

De petitione consilij sapientis.

Rubrica LXXIV.

Ad evitandam omnem suspicionis materiam, quæ inter litigantes coram Dominis Capitaneis Terræ Sancti Marini oriri posset, decernimus, et statuimus, quod licitum sit, quibuscumque litigantibus, in quacumque parte iudicij, in qua iure canonico, vel civili licitum sit appellare, et etiam in facto, et causa principali tam ante latam sententiam, quam post, si appellaverit, petere consilium sapientis Iudicis non suspecti, et Domini Capitanei dictam consilij petitionem sub pœna quinquaginta scutorum admittere teneantur, et secundum consilium iudicare.

Alias quicquid ex inde factum fuerit, nullius sit momenti.

Quod consilium concedi debeat expensis petentis, reficiendis tamen per partem adversam in casu succumbentiæ.

Dummodo pars petens consilium consultoris salarium deponat, et nuntij mercedem infra duos dies a die petitionis consilij, et taxationis salarij numerandos.

Alias dicta consilij petitio evanescat, et nullius sit valoris. Et Iudex in causa procedere possit, prout sibi placuerit.

Quod consultoris salarium, et nuntij ut supra, taxari debeat per ipsos Dominos Capitaneos dummodo non excedat summas infrascriptas, videlicet si fuerit petitum consilium ante diffinitivæ sententiæ tempus, non possit excedere salarium consultoris duos ducatos.

In diffinitiva vero duplum. Et merces nuntij taxetur secundum distantiam loci, et temporis quo steterit dictus nuncius pro consilio habendo.

Et debeant dicti Domini Capitanei causam committere uni sapienti, de quo partes concordaverint, et quicunque aliquem suspectum allegaverit debeat specificare causam, et non sufficiat in genere eos suspectos allegare.

Cui consilio acquiescat, nisi pars, contra quam veniret, conquereretur, et aliud consilium vellet suis expensis, quod concedatur.

Et si consilia essent contraria, habeatur recursus ad Consilium duodecim dictæ Terræ, quod opportune providebit.

Ita tamen, quod in diffinitivis sententijs, non obstante consilio, licitum sit cuique parti appellare, reclamare, et de nullitate dicere, secundum formam constitutionum Sanctæ Matris Ecclesiæ, super appellatione, et de nullitatis dictionibus, et reclamationibus.

In primis quidem decernimus, statuimus, et ordinamus, quod de cetero quicunque in aliqua causa consilium sapientis petere voluerit, possit, et debeat illud petere, et Domini Capitanei illud concedere teneantur quandocumque ante sententiam, dummodo non petatur die, pro qua pars, seu partes erunt per Dominos Capitaneos monitæ, vel de commissione ipsorum citatæ ad audiendum eorum voluntatem, seu sententiam, quo casu si pars petierit illa die, iudex dictum consilium dare, et concedere non teneatur, nec possit, sed ad expeditionem causæ procedere debeat.

Et si contingat dicta die monitiones non fieri, adhuc possit dictum consilium peti, dummodo non petatur die ferendæ sententiæ.

Item decernimus, statuimus, et ordinamus, quod quicumque hactenus petijt, et de cetero petet causam, seu articulum committi, seu decidi consilio sapientis, teneatur, et debeat actualiter exhibere, et producere coram Dominis Capitaneis Terræ Sancti Marini, coram quibus consilium petitum fuerit, omnia acta, et iura sua infra terminum octo dierum a die dicti consilij petiti computandorum, ut dicta acta possint mitti consultori pro dicto consilio petito.

Qui quidem terminus octo dierum in casu quo per Notarium rogatum de actis steterit, quod pars non potuerit habere copiam actorum, de quo tamen fides fieri debeat per iuramentum dicti Notarij de actis rogati, videlicet quod per eum steterit, prorogari possit arbitrio ipsorum Dominorum Capitaneorum.

Ita tamen quod non possit prorogari ultra alios octo dies, nisi propter absentiam, vel aliam iustam causam.

Decernentes etiam, quod dicta acta, exhibita, et iura auscultari debeant infra alios quatuor dies post supra dictos computandos.

Et si pars consilium petens in exhibendo, et exhibere faciendo dicta acta, negligens constiterit, prout supra dictum fuit, quolibet casu dicta petitio evanescat.

Item statuimus, et ordinamus, quod pars quæ consilium sapientis in aliqua causa, et coram dictis Dominis Capitaneis petierit, teneatur, et debeat infra terminum quatuor dierum computandorum a die auscultationis actorum facere, et curare cum effectu, adeo quod nuncius electus pro dicto consilio arripiat iter, et recedat de dicta Terra pro dicto consilio habendo, et simul teneatur, et debeat infra terminum competentem statuendum a dictis Dominis Capitaneis, loci, vel Civitatis distantia considerata, exhibere dicta acta auscultata, ita ut causam consulens expedire possit.

Et si in prædictis, vel aliquo prædictorum, pars petens negligens fuerit, dicta consilij petitio evanescat.

Decernentes etiam præsens capitulum extendi ad petitiones consilij hactenus factas, in quibus nuntius nondum recessit pro accedendo ad consultorem, et in quibus acta nondum sunt consultori præsentata.

Declarantes, hoc statutum de petitione consilij sapientis locum tantum habere in causis a centum solidis supra, sub pœna decem librarum ipsis Dominis Capitaneis per eorum successores exigenda, si in prædictis fuerint negligentes.

Si vero neutra partium petierit consilium, ipsi Domini Capitanei, ex eorum officio ad instantiam partium, vel partis, altera tamen citata ad audiendum sententiam, vel ipsis præsentibus suam proferant, et promulgent diffinitivam sententiam prout sibi videbitur de iure convenire.

Quod si ipsis Dominis Capitaneis placuerit, et videbitur, ut melius, ac iustius possint iudicare, peritum consulere, possint partes litigantes hincinde cogere ad deponendum, et eis providendum de expensis occurrentibus pro consilio adhibendo, et de mercede competenti.

Volentes, atque mandantes in casibus antedictis, et causis summam centum solidorum excedentibus, eamdem probationem requiri, quæ de iure communi in causis maioribus requiritur, et debetur, cui per præsens Statutum, quo ad probationes antedictas nolumus derogari.

Et prædicta sibi locum vindicent, et modus procedendi attendatur prout attenditur, quando de debito publicum non apparet instrumentum, ideoque via procedatur ordinaria.

Volentes etiam, quod si ultima dies dictarum dilationum esset feriata, talis dilatio ut supra data in aliam diem proxime sequentem iuridicam cadat, et cadere intendatur.

De Salario Advocati, et Procuratoris.

Rubrica LXXV.

Ut melius a quibuscumque, etiam idiotis personis, valeat interpretari, et intelligi, libuit vernacula lingua præsens statutum describere, ad communem omnium simplicium hominum utilitatem.

Vogliamo dunque, statuviamo, ed ordiniamo, che il patrocinio dell' Avvocato in una causa civile ordinariamente agitata d' importanza di cinquanta libre, o meno sia due bolognini per libra, e da cinquanta libre in su, sino alle cento libre, abbia per le prime cinquanta libre il salario suddetto, e per l' avanzo un bolognino per libra solamente.

Ma se l' importanza della causa passerà la quantità di cento libre, si debba prima il salario corrente per le cento libre, e per il resto, sia quanto si voglia la somma, quattro quattrini per libra.

Con questo però, che il salario, e patrocinio non possa mai passare la quantità di venticinque scudi mozzi.

Nelle cause sommarie, ed esecutive si debba all' Avvocato la metà solamente di quello si doveria rispettivamente nelle cause ordinarie, come di sopra.

E cause sommarie s' intendano, quanto a questo effetto, tutte quelle cause, che si spediranno senza legittima contraddizione della parte, e senza che sopra ciò si faccia processo, e si esaminino testimonj.

E similmente le cause che si facessero sopra precetti non ridotti alla via della ragione.

Ma se fossero alla via della ragione s' attenda poi alla natura della causa, come di sopra si è detto.

E similmente s' intenda sommaria ciascuna causa, nella quale si proceda in contumacia.

Ed ogni articolo incidente, o emergente, o interlocutorio s' intenda confuso con la causa principale, nè si debba per quello altro salario.

Nelle cause di servitù dedotte principalmente in giudizio si debbano all' Avvocato libre dodici, ma se per via di eccezione libre sei.

Qual salario di libre dodici si debba all' Avvocato anco nelle cause, nelle quali non si tratta di alcuna certa, o determinata quantità.

Nelle cause d' appellazioni da interlocutorie in cause ordinarie si debba all' Avvocato il medesimo salario, che nelle cause esecutive.

Nelle esecutive, o sommarie la metà meno.

Nell' appellazioni da diffinitive il salario dell' Avvocato sia la terza parte meno rispettivamente, che per la causa principale civile, o criminale.

Nelle cause di esecuzione di sentenza intervenendo il medesimo Avvocato, se non si contradirà, o il reo sarà contumace si debba la sesta parte del salario dovuto per la causa principale.

Ma se sarà contradetto la quarta parte. Ed intervenendo nuovo Avvocato se gli debba l' intiero salario della causa esecutiva, come di sopra.

Nelle cause criminali dove si tratta di pena della vita, abbia l' Avvocato scudi sedici mozzi.

E dove di pena di esilio, confine, galea, corda, mutilazione di membri, o d'altra corporale, abbia scudi dieci mozzi.

Ma se di pena pecuniaria, o confiscazione de' beni abbia come di sopra nelle cause civili ordinarie.

E se di pena parte pecuniaria, e parte corporale, abbia il Salario rispetto ad una sol pena di quelle secondo la tassa suddetta a sua elezione.

Ma se di pena arbitraria s'attenda la pena che si arbitrerà.

E se accadesse, che ne seguisse assolutoria s' attenda l' arbitrio fatto altre volte in simili casi, quale se si trovasse differente, s' attenda il minore.

E se non si trovasse il caso seguito, si proceda da simili a simili considerata la gravità, o levità del fatto secondo la suddetta tassa.

Quanto ai Procuratori, e loro salario, s' osservino le medesime regole, e i modi suddetti, eccetto che debbano sempre avere la terza parte manco in ciascuna causa dell' Avvocato, nè possano pretendere, nè dimandare più delli due terzi.

Dichiarando, che i salarj suddetti si debbono intieri per tutta la causa, ma se occorresse che la causa in alcun modo non andasse innanzi, o non intervenisse l' Avvocato, o Procuratore, se non sino alla produzione del libello inclusivamente, si debba solo la terza parte. E se sino alla produzione de' capitoli, o recezione, ed esaminazione de' testimonj, la metà.

E se sino alla conclusione della causa, e allegazione in jure esclusivamente, due terzi.

E se sino fatta la conclusione della causa, e le allegazioni in jure, si debba il salario intiero, ancorchè non ne seguitasse sentenza, nè si procedesse in alcun modo più innanzi.

Ma seguitando la causa sino al fine, si debba la terza parte del salario alla contestazione, o quasi, della lite.

L' altra terza parte, fatte l' allegazioni in jure. E l' altra dopo la sentenza.

Dichiarando che non sia differenza alcuna tra Avvocati, e Procuratori degli attori, o rei.

E se alcuno conducesse più Avvocati, o Procuratori in una causa, debba dare a ciascuno il salario intiero.

Ma in caso di repetizione di spese dall' avversario, non possa ripetere se non un salario solo.

E se occorresse di condurre, o mandare l' Avvocato fuor della Terra, se gli debba dare oltre il patrocinio ordinario, uno scudo mozzo per ciascun giorno per suo viatico, e la spesa del vitto per se, e servitore, e la vettura, e spesa del cavallo.

Ed il Procuratore in questo caso debba avere, oltre il suo patrocinio, come di sopra, mezzo scudo mozzo il giorno, e la spesa, come di sopra si è detto del Avvocato.

Intervenendo poi in un giudizio, e causa sola più attori, o rei, se due, pagono un salario e mezzo secondo la presente tassa.

Ma se tre, o più paghino due salarj, e come se fossero due cause tali.

La tassa dei suddetti patrocinj si faccia da un Notaro perito da eleggersi comunemente dalle parti, qual consideri, ed attenda il valore della cosa dimandata.

E nei giudizj divisorj, quello che le parti dimandano assegnarseli.

Qual Notaro non possa fare tassa alcuna senza il consiglio del Giudice della causa, e senza il suo giuramento appresso gli atti.

Dalla qual tassa si possa reclamare fra tre giorni, e il Giudice commetta la revisione di essa ad un altro Notaro non sospetto.

Nè si possa più reclamare, ma si eseguisca realmente, e personalmente senza alcun ordine di ragione.

Proibendo a ciascuno far patto alcuno sopra detti patrocinj, o esigere oltre la presente tassa, sotto pena della privazione dell' officio dell' Avvocazione, e procurazione, e altre pene ad arbitrio del nostro General Consiglio, oltre la perdita de' salarj, e mercedi che potessero pretendere in detta causa.

Proibendo anco a gli Avvocati di dettare atti ai Tribunali de' Giudici, e fare l' officio de' Procuratori sotto la pena d' uno scudo per ciascun atto per la prima volta, e se più d' una volta contraverranno, della sospensione dell' Avocazione per sei mesi.

Nè saranno perciò pagati dalla parte dell' officio suddetto del Procuratore.

FINIS LIBRI SECUNDI.



LIBER TERTIUS

MALEFICIORUM

Quot, ac quibus modis super maleficijs procedi possit.

Rubrica I.

Excepto Tractatu Civilium Causarum consequens est, ut maleficiorum causas, quæ illis sunt maiores, et a quibus magis pendet publicus, ac pacificus Reipublicae status, et quies, absque necessaria animadversione, opportunaque provisione non prætereamus. In primis ergo attendentes quod delicta quoquo prætextu non remaneant impunita, statuimus, et ordinamus, quod in quibuscumque maleficijs, et excessibus, vel quasi, ordinarijs, vel extraordinarijs, commissis, vel quæ in futurum committerentur, sive in Terra, Territorio, et districtu Sancti Marini, per subditos, vel forenses quoscumque, sive extra per subditos, et forenses, Domini Capitanei, qui sunt, vel pro tempore extiterint, aut alij Officiales ordinariam iurisdictionem in dicta Terra exercentes, procedere possint auctoritate huius Statuti, coniunctim, et separatim per accusationem, denunciationem, querelam, inquisitionem, et alijs quibusvis legitimis modis nulla iuris solemnitate servata, et ita ut cœpta, vel destituta una via non impediatur institutio, vel prosecutio alterius, exceptis casibus, in quibus aliter per statuta disponi contigerit, et in quibus lata esset sententia ex uno modo, quo casu no-

lumus denuo causam ex alio instaurari nisi quatenus de iure permitteretur communi, et quod sententiæ per dictos modos ferendæ, sint ratæ, et firmæ, etiam quod latæ essent super alio delicto, in prædictis accusatione, et denunciatione, querela, vel inquisitione non comprehenso, dummodo de eo constet in processu, iure aliquo prædictis non obstante.

De ordine Iudicij in causis criminalibus.
Rubrica II.

Insuper quo ad ordinem iudiciarium statuimus, quod in causis criminalibus levibus, extraordinarijs, et innominatis procedi possit extraordinarie, sine strepitu, et figura iudicij; in alijs vero ut omni alio circumscripto, præsentis statuti dumtaxat ordo servetur, ut supra porrecta accusatione, sive querela, aut facta denunciatione maleficij, prævio semper iuramento accusantis, querelantis, vel denunciantis quod non animo calumniæ, sed pro veritate accusat, querelat, aut denunciat, vel receptis aliquibus informationibus ex mero officio, formetur inquisitio, si videatur, alias autem, et citra requisitionem citetur reus secundum formam sequentis statuti per cedulam continentem nomen accusatoris, querelantis, denunciantis, seu inquirentis, prout contigerit, et substantiam maleficij de quo imputatur, quatenus infra quinque dies proximos personaliter comparere debeat ad se excusandum, et defendendum a dicta accusatione, inquisitione, seu maleficio, quæ, si compareat sibi seriatim, et vulgari sermone legantur, et si confiteatur respondendo vera esse contenta in eis, detur eidem terminus octo dierum ad faciendum suas defensiones, et ad habendum concordiam ab offenso, moneaturque pro singulis diebus, et horis ad audiendum sententiam, quæ monitio licet incerta habeat vim certæ, legitimæ, ac peremptoriæ citationis.

Si vero negaverit in totum, vel in partem terminus assignetur, tam accusatori ubi intervenerit, quam accusato octo, vel decem dierum ad probandum eorum incumbentia, et quicquid voluerint, et potuerint per omnem modum, et genus probationis, quo termino elapso publicentur Testes, si producti, et examinati fuerint, cum assignatione termini arbitrio Dominorum Capitaneorum, vel alterius Officialis, ut supra, ad accipiendum copiam si voluerit, et opponendum, ac probandum contra.

Et deinde detur terminus ad allegandum in iure, et eo decurso feratur sententia condemnatoria, vel absolutoria ipsius rei prout iuris erit, et in casu absolutoriae condemnetur sibi accusator in expensis legitimis, et ultra Ca-

nerae Fiscali in decem solidis etiam quod absit calumnia, sed n casu calumniæ condemnetur pro modo ipsius rei arbitrio)rædictorum.

Idemque modus procedendi servetur respective, et resecatis 'esecandis cum ipso reo, ubi accusator non existat, ut ipsi :omparenti detur terminus ad faciendum defensiones.

Et successive procedatur, ut dictum est, semperque si cau-sa sit talis pro qua debeat personaliter detineri, detineatur, si vero relaxari, relaxetur, præstita tamen per ipsum idonea fide-ussione, de se præsentando toties quoties et cetera tam coram psis, quam successoribus, et Iudicibus appellationum, et de parendo eorum mandatis, et de solvendo omnem pœnam in qua veniet condemnandus, per quam fidejussor intelligatur in solidum obligatus cum ipso principali, renunciatumque bene-ficio de fideiussoribus, Epistolæ Divi Adriani, et de duobus 'eis, etiam quod non esset expressum.

Sed si idem reus, ut supra citatus, non comparuerit, tunc ipso citationis termino ponatur in banno secundum formam eiusdem statuti a Terra, Comitatu, fortia, ac districtu Sancti Marini, pro quantitate, et pœna maleficij, et excessus contra ipsum intentati cum assignatione certi termini arbitrio eorum-dem Dominorum Capitaneorum, seu Officialium ad comparen-dum, ipsoque comparente, vel ante bannum post priorem con-tumaciam, vel durante termino banni reponatur ad suam ex-cusationem, et defensiones faciendas, solutis tamen prius soli-dis quinque denariorum in cippo Communis.

Post vero terminum banni etiam si comparuerit non audia-tur, vel admittatur ulterius, nisi iusta aliqua causa allegata, et probata moverit Iudicem ad audiendum, quo casu audiatur facta solutione prædicta in cippo Communis, et ubicumque comparuerit, et audiendus sit, ut diximus, procedatur semper ut supra.

Si vero non comparuerit, vel comparens non fuerit, ut su-pra, audiendus, tunc lapso termino banni habeatur absque a-lia declaratione pro vero contumace convicto, et confesso de omnibus, et singulis contra eum intentatis, et possit, ac de-beat condemnari in ære, vel persona, et prout negocij, et de-licti exigerit qualitas, ac si vere præsens fuisset, et delictum passus fuisset, excepto eo, quod talis confessio sibi non prosit ad beneficium, (quando alias per statuta confitentibus maleficia indulgeri contigerit) consequendum.

STATUTORUM

De virtute, modo, ac circumstantijs citationis, et banni.

Rubrica III.

Ut autem appareat per quos, et quando citationes, et banna sint facienda, et de eorum robore ad effectus, de quibus supra, et alios quoslibet legitimos, volumus ipsas citationes fieri per nuncios publicos, banna vero per præconem communis hominum huius almæ libertatis Sancti Marini, quos esse tales apparuerit, ex publicis monumentis eiusdem, unaque citatio si personaliter facta fuerit pro quolibet actu sufficiat.

Si vero domi, duæ pro una fieri debeant, et utroque casu per cedulam.

Sed si contigerit citandum esse forensem, vel alias non habentem domicilium, vel habitationem in dicta Terra, vel districtu citetur per Plazarium ad valvas Palatij alta voce cum affixione cedulæ bis diversis diebus cum termino ad arbitrium (inspecta locorum distantia) statuendo ad comparendum, et alia ut acciderit faciendum quolibet actu, ut supra.

Bannum autem tam de subdito, et habitatore, quam de forense, et non habitante fiat per præconem ad valvas Palatij de mandato Iudicis, et sono tubæ præmisso, in quo exprimatur qualiter talis ponitur in banno a Terra, et Territorio Sancti Marini propter contumaciam, et pro tali delicto, et eius pœna, assignando certum terminum, ut supra in præcedenti statuto, servata semper debita differentia in termini assignatione, inter habitantem, et non habitantem; et tam citatio, quam bannum habilia dicantur, et suum producant effectum, etiam quod ad instantiam alicuius partis facta non fuerint, vel altera pars non comparuerit in termino, et contumaciam non accusaverit, nec fuerit per Iudicem desuper declaratum, et possit ad ulteriores actus procedi absque alia notificatione, citatione, vel requisitione, ut in præcedenti statuto, salva tamen semper allegatione, et probatione iusti impedimenti ipsius citati, et iustæ causæ ipsius banniti, ut in eodem statuto.

Probentur autem dictæ citationes, et banna per relationem ipsius nuncij, vel præconis in scriptis redactam, quibus circa eas, et alia sibi commissa, et per eos executa plenam fidem adhiberi volumus.

De tempore quo procedi possit, et intra quod terminari debeant causae criminales. Rubrica IV.

Item statuimus (non tam fisco, quam ipsis delinquentibus consulendo) quod in causis criminalibus procedi possit, et procedatur quocumque tempore, ac nullis penitus servatis ferijs etiam in honorem Dei introductis, praeterquam in ferenda sententia, quam ferri posse nolumus tempore in honorem Dei feriato, et subinde prohibemus tales sententias, et processus congruo tempore desuper ferendas, occasione praedicta impugnari quoquomodo posse, vel de ipsarum nullitate dici.

Et ita procedendo dictae causae debeant per Capitaneos, aut alios Officiales, ut supra, quorum tempore commissum fuerit delictum, inchoari, et per sententiam terminari infra quinquaginta dies continuos a die commissi delicti, et notitiae de eo habitae sub pœna librarum quinquaginta denariorum Camerae Communis applicandarum pro quolibet, in qua ipso iure, et toties incidant, quoties terminum quinquaginta dierum praedictorum etiam super eodem delicto labi permiserint, et causam ipsam non terminaverint, et non solum ipsi primi Iudices, sed etiam quicumque successores ulteriores, qui parem super eodem delicto commiserint negligentiam, quibus tamen nolumus computari tempus negligentiae praecessorum, sed tantummodo diligentiae. Qui ut supra successores teneantur causam expedire intra residuum quinquaginta dierum quod supererit, demptis diebus, quibus praecessores processerunt, et fuerunt diligentes; et per hoc tamen non intendentes causam ipsam per lapsum quinquaginta dierum praedictorum fieri unquam desertam, vel cuiuscumque alterius temporis, nisi cum procederetur cum assistentia accusatoris, querelantis, vel alterius instigatoris, quo casu servetur ius commune, sed perpetuo durare, ne inquisiti aliquo desertionis clipeo valeant se tueri.

De invito ad accusandum non cogendo, et secreto accusatore non admittendo. Rubrica V.

Sicut autem non decet, nec volumus aliquem invitum ad accusandum compelli posse, ita nec secretam alicuius volentis accusationem, querelam, vel denunciationem recipi, et eius vigore procedi decernimus, sed quicumque voluerit accusare, querelare, vel denunciare debeat illud publice, palam, et in scriptis coram

Notario maleficiorum profiteri, nisi in casibus in quibus per alia statuta, edicta, vel bannimenta admitterentur, et hoc ad obviandum fraudibus, quas sub praetextu secreti accusatoris multoties committi compertum est.

De officio Relatorum maleficiorum.

Rubrica VI.

Cum maxime expediat delictis tum inveniendis, et puniendis, tum etiam non multiplicandis, ut quam celerius fieri possit ad curiae notitiam deveniant, propterea hac salubri constitutione sancimus, quod Relatores maleficiorum, secundum stilum, et consuetudinem constituti, vel in futurum constituendi in Terra, Territorio, et Districtu Sancti Marini, teneantur esse diligentes, et invigilare ita et taliter, ut quocumque maleficiorum sub eorum dictione, seu tenuta, vel per homines illius extra Territorium dictae Terrae commissorum notitiam nanciscantur, ea statim si sint graviora, vel saltem intra triduum a die ipsius commissi si sint leviora, clare, distincte, cum eorum qualitatibus, et circumstantijs, et unde informationes capi possint indicando, denunciare, et referre debeant sub pœna contrafacienti, vel negligenti librarum vigintiquinque denariorum ipso facto Camerae Fiscali applicandarum, et nulla admittenda sibi excusatione absentiae, vel ignorantiae.

Quod Procurator, vel alius pro alio absente in criminali iudicio intervenire non possit.

Rubrica VII.

Maxime interest in Iudicijs criminalibus reorum habere praesentiam, tum pro indagatione maleficiorum, tum etiam pro executione sententiarum: et propterea praesenti constitutione prohibemus, ne procurator, defensor, executor, pater, tutor, maritus, etiam principalitatis, et proprij interesse praetextu, vel colore, in causis criminalibus quibuscumque, et de quacumque pœna agatur, pro reo accusato, denunciato, vel inquisito ut supra, admittatur, vel intervenire possit, sed ipsi rei citati, et vocati omnino personaliter comparere, et se presentare teneantur, et debeant, nisi forsan ad confitendum delictum sempliciter, et prout intentatur, non autem causa, et animo

reum defendendi ubi pœna pecuniaria principaliter veniret imponenda, et pœnam ipsam eodem contextu deponendam, vel postquam reus comparuit, et inquisitioni responderit, vel carceratus, aut sub fideiussoribus relaxatus reperitur, vel ad allegandum causas absentiae, et terminum ad denunciandum, vel perquirendum, animo ipsum præsentandi quod iuramento affirmari debeat, obtinendum, vel ad docendum explicite, et incontinenti, et non alias delictum quod prætenditur non subsistere, et non esse delictum, vel impune committi potuisse, de eoque inquiri, vel accusari non posse, vel debere, quibus casibus, ac etiam ad agendum, accusandum, et denunciandum, supradictas personas admitti volumus. In ceteris vero prohibitio universaliter procedat, et tam in primis, quam etiam in secundis nullitatum, vel appellationum causis, et non obstante talium comparitione contra reum uti contumacem procedi possit secundum formam superius traditam.

De probatione per famam, et per socios, et consortes in quibus casibus sufficiat. Rubrica VIII.

Cum plerumque contingat, ut propter inopiam probationum delicta, etiam gravia et enormia, praesertim nocturna, remaneant impunita contra illam, quam summa ope profitemur, curam, ideo volentes tali inconvenienti quantum fieri potest citra iniustitiam providere, statuimus, quod in robarijs, incendijs, et alijs gravibus, et enormibus criminibus, vel damnis de nocte commissis probatio per publicam famam vicinorum loci delicti, vel damni, una cum aliquibus alijs praesumptionibus, vel adminiculis plene probet, et sufficiat ad condemnationem tam in civili, quam in criminali causa, quaecumque veniat pœna imponenda.

Spoliationes autem, derobationes, violentias, et percussiones, seu vulnera si qua inde sequuta fuissent, sive de nocte, sive de die, et ubicumque, et quandocumque factas, et commissas probari volumus, et legitime probatas dici, si probentur per socios, et consortes ipsorum offensorum, et per quoscumque qui ad ipsum delictum, et rumorem accurrerint, seu præsentes fuerint, audiverint, et viderint qui illi sint, dummodo aliud eis non obstet, et nedum in iuris subsidium, sed passim, dum tamen actui alij testes non intervenerint, seu per alios probari non possit.

Nec contra tales obijci valeat aliqua odij, vel inimicitiae macula, nisi forsan ante talia delicta exorta, quo casu legitime probata admittatur, et prosit.

De testimonio mulierum, et minorum in criminalibus. Rubrica IX.

Ut facultas probationum amplietur hoc praesenti statuto ordinamus, quod in omnibus maleficijs, vel quasi, mulieres, ac minores viginti annis, maiores tamen quatuordecim possint recipi in testes, et eorum testimonio, nisi aliud obsit, detur plena fides ad condemnandum quacumque pœna, non obstante sexu, vel aetate. Ab inde autem infra pupillo credatur quatenus de iure permittitur communi.

Quod minores, et filij familias legitimam habeant personam in criminalibus. Rubrica X.

Generaliter statuimus, quod minores vigintiquinque annis, maiores tamen quatuordecim, sive sint filij familias, sive non, etiam sine consensu curatoris, vel patris in criminali causa in iudicio stare valeant, et legitimam habeant personam tam in agendo, quam in defendendo, et tam si per accusationem, quam si per denunciationem, vel inquisitionem criminalis causa agitaretur.

Et hoc tam in primis, quam in secundis causis appellationum, nec praetextu praedictorum aliqua in integrum restitutio obtineri possit.

De poena mitiganda mulieribus, et minoribus. Rubrica XI.

Statuimus tamen mulierum imbecillitati, et minorum inconsultationi parcendo, quod mulieres delinquentes condemnentur ad dimidiam tantum partem pœnæ pro delicto per ipsas commisso alias generaliter impositae, ubi videlicet pœna esset pecuniaria.

Ubi vero esset corporalis, vel capitalis, propter gravitatem tunc talium delictorum pœnis subiaceant ordinarijs.

Minor autem decem annis puniatur penitus arbitrio Iudicis, et Consilij duodecim cum facultate etiam in totum absolvendi si sibi videbitur ex qualitate delicti, et personarum.

Sed maior decem, et minor duodecim condemnetur in quarta tantum parte pœnæ pro tali delicto alias, ut supra, impositæ, et semper tam minor cuiuscumque ætatis, quam mulier ad refectionem expensarum ipsi offenso teneatur.

Non tamen per præsens statutum intendimus denegare quin Iudex ex causa, et secundum permissionem iuris communis non possit, aut debeat, tam mulieribus in causis corporalibus, et capitalibus, quam maioribus duodecim, et minoribus vigintiquinque, vel etiam maioribus ea ætate pœnam minorare.

Quod Pater, et avus teneantur de peculio, et ad legitimam filiorum, vel nepotum pro eorum delictis.

Rubrica XII.

Ne autem condemnationes vanæ reddi possint, et inde occasio maleficiorum captari, volumus, quod pro delictis commissis per eos, qui alienæ subiacent potestati, et pro eorum pœnis pecuniarijs, seu confiscationum bonorum, in primis intelligatur, et sit obligatum peculium ipsorum, si quod extet cuiuscumque generis, et ex eo pœna exigatur pro concurrenti quantitate, illudque intelligatur in casu cofiscationis publicatum ipso iure, non obstante usufructu paterno, vel avito, et integre, ac pleno iure deveniat in commune prædictum.

Ultra vero peculium teneantur etiam illi, qui ipsos in potestate habent, sive pater, sive avus usque ad debitum bonorum subsidium, servata distinctione circa facultates, et numerum filiorum cum misericordia semper, et si peculium non extaret, vel extaret, sed non sufficiens ad pœnæ exactionem, solvatur, vel suppleatur de ipsa legitima, et in casu confiscationis vel ipsa sola, non extante peculio, vel cum peculio si extet, ipso iure, ut supra, intelligatur, et sit publicata.

Nec requiratur quoad hoc alius processus, vel sententia, sed sufficiat processus factus, et sententia lata contra ipsum principalem delinquentem etiam penitus contumacem, et nunquam citato ipsius patre, vel avo, quæ ex eo solo possit, et debeat executioni mandari contra ipsos pro peculio, et legitima, ut supra, intelligendo tamen quod donec non fuerint integre per ipsos

Q*

soluta, semper successive pro residuo teneantur in futurum, sed integre semel solutis non teneantur ulterius, immo nec ipse filius, vel nepos legitimam sic solutam possit ulterius prætendere, nec petere post mortem eorumdem.

De poena imponenda forensi offendenti terrigenam, et eius receptoribus, et fautoribus.

Rubrica XIII.

Ut tutiores reddamus subditos nostros ab insolentijs forensium, qui aliquando fuga, et refugio propriæ domus freti, et ob id pœnas quasi eludentes promptiores ad malum esse consueverunt, statuimus, quod si quis forensis, vel non subiectus iurisdictioni Sancti Marini cuiuscumque dignitatis, gradus, et condictionis, auctor, seu ceptor rixæ ausus fuerit offendere, aut offenderit aliquem terrigenam, vel destrictualem in Terra, vel districtu Sancti Marini puniatur in duplum pœnæ, qua pro eodem delicto puniretur terrigena alium terrigenam offendens, et hoc si pœna esset pecuniaria simpliciter, ac determinata, alias si esset arbitraria, vel corporalis, seu corporis afflictiva, tunc pœna arbitretur in pecuniariam, vel corporalem, vel utramque simul secundum facti, et personarum qualitatem, et condictionem, ita tamen, ut semper talis forensis in maiori pœna puniatur, quam puniretur terrigena.

Non solum autem forensis ipse offendens, sed quilibet ipsum receptans post delictum, aut ei quomodolibet auxilium, consilium, aut favorem præstiterit eadem pœna puniatur.

Volentes insuper, quod ijdem forenses possint incontinenti a terrigenis, vel alijs quibuscumque offendi impune in ære, et persona usque ad æqualitatem offensæ per ipsos inflictæ inclusive.

Et quod videntes omnes, seu præsentes, vel alias scientes, vel scire debentes teneantur ipsos insequi, et omni conatu curare, ut capiantur, et ad curiam ducantur.

Vel si in aliquo loco se receperint, vel occultaverint, statim ipsi Curiæ cum omni diligentia, ac taciturnitate denunciare, sub pœna contrafacienti, vel negligenti in casu homicidij scutorum vigintiquinque, alterius vero notabilis offensæ scutorum decem.

De falsis accusatoribus.
Rubrica XIV.

Si quis aliquem falso scienter, vel temere accusaverit, plectatur eadem pœna, qua plecti debuisset accusatus ipse, si accusatio vera, et probata fuisset, et insuper teneatur ad omnes expensas, interesse, et damna, per accusatum indebite passa.

De fideiussione praestanda de non offendendo.
Rubrica XV.

Statuimus ad obviandum scandalis, et paci, ac quieti subditorum consulendo, quod quotiescumque imminet causa, et timor ne aliqui veniant ad arma, et rixas inter se, Domini Capitanei, vel alius iudex ordinarius, ut supra, quorum arbitrio in hoc stari volumus, possint, et teneantur, sive ad instantiam alterius partis, sive ex officio cogere partes, inter quas sic timetur, ad invicem cavendum de non offendendo aotive, et passive pro se, consanguineis, et attinentibus usque in tertium gradum secundum ius Canonicum inclusive, et adhærentibus, complicibus, et sequacibus sub pœna eorumdem arbitrio ascribenda, et inæquali, si eis videbitur propter inæqualitatem partium, et possint etiam astringere patrem pro filio, et proximiorem coniunctum pro coniuncto, et præcipere cum cominatione, quod interim fideiussio habeatur pro præstita donec actualiter præstetur, quæ cominatio obliget sicut ipsa fideiussio, quæ pœna si contrafactum fuerit exigatur de facto, et absque alio processu ab ipso principali, seu fideiussore, altero ad libitum ommisso.

Et sufficiat processus, et sententia lata contra principalem etiam in contumaciam, et non citato fideiussore, ut et supra de Patre quoad legitimam fuit statutum.

Fideiussor tamen semper intelligatur habere, et habeat ipsum principalem, et eius bona obligata pro eius indemnitate, et regressu, et contra ipsum, et contra ipsa pari modo procedatur executive, et de facto, etiam quod in instrumento fideiussionis non fuisset de indemnitate promissum.

Et si acciderit, quod ad mandatum Dominorum Capitaneorum, ut supra, aliquis fideiussionem praedictam praestare recusaverit, vel non praestiterit, ultra mulctam indictam ponatur cum tota familia in banno, et perpetuo exilio a Terra, Territorio, et districtu Sancti Marini donec caverit effe-

ctualiter, cautione iuratoria sub prætextu paupertatis sibi nequaquam hoc casu suffragante, et si talis esset forensis, vel advena habitator dictæ Terræ, vel districtus expellatur, et ponatur in banno ab ipsa Terra, et districtu sub dictis pœnis de non offendendo, et non accedendo ad eam.

De personis in fideiussoribus non recipiendis.

Rubrica XVI.

Non possint Officiales quicumque, nec Advocati, nec Procuratores, nec Notarij Terræ Sancti Marini, in fideiussores, nec pro fideiussoribus in criminalibus causis recipi, vel admitti, nec in fideiussoribus de non offendendo.

Si autem aliquis prædictorum receptus, vel admissus fuerit in fideiussorem, ut supra, statuti huius auctoritate nullatenus obligetur, aut teneatur.

Et prædictos, vel aliquem prædictorum recipiens, vel admittens in libris viginti denariorum pro quolibet, et vice qualibet puniatur.

Et nihilominus quicquid contra praedicta sequutum fuerit, non teneat ipso iure, et huic statuto expresse, vel tacite renunciari non possit, etiam si iusiurandum intervenerit.

Prout nec fideiussio, nec promissio praedicta iuramento firmari volumus, sed omnino utrumque praesumi simulatum.

De repraesalijs. Rubrica XVII.

Quia ex repraesaliarum concessione plurima consueverunt scandala pervenire, statuimus, quod nemini liceat ius sibi ipsi dicere adversus aliquem, nec aliqua persona praesumat, vel attentet repraesalijs quibuscumque uti sine Dominorum Capitaneorum, et eorum duodecim speciali licentia.

Et si contrafactum fuerit decernimus non valere, et contrafacientes Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim arbitrio puniantur.

In quibus casibus, et quomodo ad torturam procedi possit.

Rubrica XVIII.

STATUIMUS, quod in causis criminalibus quibuscumque ubi agitur de pœna capitali, vel corporali indistincte, adhiberi possit tortura, in pecuniaria autem non nisi ascendat saltem ad quantitatem librarum vigintiquinque denariorum, et omni casu praecedentibus tamen ad eam legitimis indicijs iuxta formam iuris communis, et statutorum huius almæ libertatis, et praesertim sequentis statuti, ac dato prius termino cum copia ipsi reo eam petenti ad ea elidenda iuxta ordinem iuris communis, praeterquam contra fures, latrones, homicidas, et proditores, contra quos liberum Iudici concedimus arbitrium procedendi ad torturam.

De indicio sanguinis, et fugae.

Rubrica XIX.

SI contigerit aliquos cuiuscumque conditionis existant venire simul ad rixam, et probetur rixatio, et quod in fine rixæ immediate visus fuerit fluere sanguis ab aliqua parte corporis alicuius ex rixantibus, immo idem, et si percussio appareat sine sanguine, talis sanguis, et percussio faciat sufficiens indicium ad torturam contra corrixantem, etiam quod non constaret ipsum habuisse in rixa instrumentum ad talem percussionem aptum.

Et idem statuimus in fuga, ut si imputatus de delicto aufugerit post dictum delictum commissum, et diffamationem contra eum laborantem quod ipse commiserit, talis fuga in quibuscumque criminibus sit sufficiens indicium ad torturam, etiam si fugiens postmodum citatus sponte comparuerit.

De modo procedendi contra reum absentem in casu indiciorum ad torturam. Rubrica XX.

NE autem processus criminales aliquo reorum subterfugio reddi possint elusorij, et inutiles, statuimus, quod in casibus, quibus post responsionem, et excusationem reus fuerit sub fideiussoribus relaxatus (iuxta statuta supra

Rubrica 2.) et dato ei termino, factisque per ipsum defensionibus, non apparuerit delictum sufficienter ad condemnationem probatum, sed tantum extare legitima indicia ad torturam, tunc requiratur fideiussor ad ipsum præsentandum, et si non presentaverit, factis legitime condemnatione, vel declaratoria de pœna contra fideiussorem, citetur nihilominus, et citari possit ipse reus ad comparendum, et subijciendum se torturæ, qui si non compareat habeatur etiam hoc casu pro vero contumace convicto, et confesso de ipso delicto, et procedi possit ad eius condemnationem sicut statutum fuit in alio casu sub dicta Rubrica 2. et talis sententia afficiat absque alio fideiussore de iudicatum solvendo, et contra eum executioni mandetur, sicut supra de patre, et fideiussore de non offendendo statutum fuit, et non obstante solutione alterius pœnae pro praesentatione non facta.

De modo ferendi sententias criminales.

Rubrica XXI.

Statuimus, quod sententiae criminales, vel damnorum datorum ferri, et promulgari debeant per Dominos Capitaneos, vel alterum eorum in casu infirmitatis collegae, vel alterius legitimi impedimenti, seu per alium Iudicem, ad quem spectet, in publico Arengo dictae Terrae more solito convocato in domo magna communis, exprimendo in eis delictum, vel damnum de quo quis absolvatur, vel condemnetur.

Et hoc facere, et servare teneatur quilibet minister eorum officij sub pœna tam cuique Capitaneo, quam Iudici, et Notario solidorum centum denariorum pro qualibet vice.

Sufficiat eas legi, et publicari per ipsum Notarium actuarium, dummodo dicti Iudices post talem publicationem vivae vocis oraculo affirment se ita, ut lectum fuit, pronunciare, et sententiare, et contra sententias ita latas non possit opponi de defectu citationis; sed vocatio ad Arengum sit loco ipsius, et dictarum sententiarum alia intimatio non requiratur, etc.

De bonis damnatorum.

Rubrica XXII.

Nolumus autem publicationi, seu confiscationi bonorum condemnati locum esse, nisi in casibus in volumine statutorum expressis, et in crimine laesae maiestatis, proditionis, rebellionis contra Statum Terrae Sancti Marini, et eius libertatem, homicidij, assassinij, sodomiae, et robariae stratarum in quibus casibus volumus bona publicari, et publicata ipso iure esse intelligi, etiam si in sententia non sit expressum, et sive personalis quoque fieri possit, et fiat executio, sive non.

In ceteris vero casibus bona damnatorum perveniant ad legitimos successores ad quos successio de iure pertinuerit.

De exactione condemnationum.

Rubrica XXIII.

Item statuimus, quod latis sententijs condemnatorijs contractaque re iudicata Domini Capitanei, seu alius Iudex possit ad libitum condemnationes exigere, vel exigi facere per Camerarium Communis, reservata tamen gratia habita, vel habenda intra terminum ad id statuendum per ipsos, et ad plus usque ad duos menses a die rei iudicatae.

Post autem duos menses praedictos dicti Iudices, et Camerarius coniunctim, et separatim teneantur, et debeant omnes condemnationes tam eorum officij, quam praecessorum statim exigere, seu exigi facere per Camerarium praedictum cogendo realiter, et personaliter condemnatos prout ipsis melius, et opportunius videbitur, et servata praesertim personali contra forenses, vel alios immobilia non possidentes, et in casu realis pignora subhastentur, et vendantur plus offerenti, et quod supererit de pretio restituatur, si autem deerit, fiat nova executio usque ad integram satisfactionem, sub pœna ipsi Camerario in hoc negligenti solvendi omnes ipsas condemnationes de suo proprio, nec gratia aliqua post lapsum dictorum duorum mensium ulterius admittatur.

De gratijs non concedendis, de poenis conventionalibus, vel incameratis. Rubrica XXIV.

Successive statuimus, et ordinamus, quod nemini in posterum gratia aliqua concedatur in totum, nec in partem, de pœna aliqua conventionali, nec de quibuscumque alijs pœnis iam taxatis, firmatis, et incameratis, ex causa quantumcumque colorata, quæ tales etiam intelligantur lapsis duobus mensibus de quibus in præcedenti statuto, vel alias si scriptæ reperiantur ad librum ipsius Camerarij de consensu solvere debentis, aut de mandato Consilij generalis.

Neminique liceat id verbo, vel in scriptis in dicto Consilio proponere, nec preces id continentes, aut litteras illud postulantes legere, vel proponere, et Capitanei, vel alij quicumque qui contrarium quomodocumque attentaverint, incidant, et ipso iure, et facto incidisse intelligantur in pœnam solvendi Cameræ Communis tantumdem ex suo proprio: declarantes, quod prædicta in pœnis conventionalibus procedant, licet pœnæ prædictæ nondum ad Cameram Communis, et ad manus Camerarij nostri pervenerint.

De reductione condemnationum ad caput solidum propter pacem.

Rubrica XXV.

Ad inducendum homines ad concordiam, statuimus, quod si quis fuerit inquisitus, accusatus, vel denunciatus de aliquo delicto, et pacem, et concordiam habuerit ab offenso, vel eius heredibus, illamque quandocumque ante sententiam produxerit, vel de ea fidem fecerit manu publici Notarij de ea rogati, in prima responsione, et confessus fuerit omnia, et singula, quæ contra eum intentarentur, solvat tantummodo caput solidum, idest duos solidos pro qualibet libra quantitatis in qua veniret condemnandus si concordia facta non fuisset, in illis videlicet casibus, in quibus offensa sine sanguine facta fuerit.

Ubi vero cum sanguine offensa facta fuerit solvat solidos quatuor pro qualibet libra quantitatis in qua veniret condemnandus si concordia producta non esset, ut supra.

Detracta tamen obtenta pace, et ea producta ex illis quarta parte,

nuncium super aliqua re, unde periculum, damnum, vel praeiudicium ipsi Communi redundare posset, vel accesserit, aut transmisserit ad aliquem locum, vel alicui adhaeserit, unde bellum contra commune praedictum insurgere posset, puniatur in libris ducentis denariorum, et si fuerit de numero Consiliariorum, ultra hanc pœnam, tali dignitate privetur, ac deleatur de tali numero, ac etiam de Arengo Generali eiusdem Terrae, ut sic de illius hominum coetu non reputetur qui erga eam tam impie se gesserit.

Quod nemo participet cum inimicis Communis.

Rubrica XXX.

Statuimus, et ordinamus quod quicumque participaverit, vel contraxerit cum aliquo inimico Communis Sancti Marini in Terra, vel eius districtu, aut alibi, postquam denunciatum fuerit, et antequam cum eodem Communi reconciliatus sit, solvat pro pœna vigintiquinque libras denariorum.

De usurpantibus, et occupantibus bona Communis.

Rubrica XXXI.

Si quis pecuniam, vel aliam rem quamlibet mobilem ad Commune Sancti Marini spectantem, et pertinentem quandocumque, et quomodocumque auctoritate, seu temeritate propria in praeteritum, seu in futurum abstulerit, interceperit, subtraxerit, vel usurpaverit, aut tale quid in praeiudicium Communis fieri consuluerit, vel procuraverit, ultra restitutionem rei, vel eius extimationis, puniatur in quadruplum.

Si vero taliter occupata fuerint immobilia, ultra restitutionem solvat pro pœna libras vigintiquinque denariorum.

Nisi fuerint de terreno mercatalis, quo casu volumus pœnam esse librarum quinquaginta, et occupatum statim absque alia controversia dimitti.

Prohibentes omnino in quolibet dictorum casuum omnem praescriptionem contra commune praedictum, seu praescriptionis allegationem, nisi de vero titulo, et bona fide doceatur.

De duplicatione poenarum. *Rubrica* *XXXII.*

Statuimus, quod in omnibus maleficijs noctis tempore commissis, et quae in Consilio committerentur, vel Arengo, vel coram Capitaneis, vel altero eorum, ipsis ad eorum officium exercendum existentibus, vel in foro, vel intra portas dictæ Terræ, vel si maleficia ipsa committarentur in stratis publicis Terræ prædictæ, vel diebus Dominicis, vel feriatis ad honorem Dei, etiam si verba tantum essent iniuriose prolata, vel blasphematoria quaecumque contra Deum Op. Max. et Beatam, ac Gloriosam Virginem Matrem, et alios Sanctos, et Sanctas Dei, in quolibet prædictorum casuum pœnæ semper duplicentur, et duplicatæ esse intelligantur.

Dum tamen semel duplicatis amplius duplicari non possint.

De conservatione Annonae. *Rubrica* *XXXIII.*

Statuimus pro Annonæ conservatione, quod nemo cuiuscumque conditionis existat audeat quoquo modo, vel sub aliquo quæsito colore præsumat extrahere, vel extrahi facere de Terra, aut districtu Sancti Marini, aut extrahenti, seu extracturo saltem praesumptive, et verisimiliter, vendere, aut ad id auxilium, vel consilium praestare, quantitatem aliquam grani, farinae, vel quorumcumque aliorum bladum absque expressa licentia Dominorum Capitaneorum, et Annonae praesidentium immo nec in foro publico, vel alibi possit quisquam, ut supra, granum, vel alia blada emere ultra suam, et suae familiae indigentiam, ex causa negotiationis, vel alia, sub poena extrahenti, mandanti, vendenti, vel auxilianti, ac ementi ultra indigentiam scutorum decem pro quolibet mastello, et ab infra, vel supra proportionabiliter, et ammissionis rei, ac animalium respective, cum quibus extrahi contigeret, applicanda pro quarta parte accusatori, ubi esset, et pro alia executori, pro residuo Camerae Communis dictae Terrae.

Dantes auctoritatem, et facultatem cuilibet perquirendi, insequendi, capiendi, et ad curiam ducendi tales extractores una cum rebus, et animalibus, immo, et ut magis ad id alliciantur, eo casu res, et animalia ipsa ipsis applicantes.

Et insuper declarantes, quod intelligatur extrahi, ex eo solo, quod quis reperiatur ire versus confines, licet adhuc non esset prope ipsos, et ex alijs legitimis praesumptionibus, et qualitate personarum ad arbitrium eorumdem Dominorum Capitaneorum, et praesidentium.

De bonis immobilibus in forenses non alienandis, et maxime in potentes. Rubrica XXXIV.

Statuimus, et ordinamus quod nemo de Terra Sancti Marini, vel eius districtu, habitator, vel incola, immo nec aliquis forensis cuiuscumque gradus, et conditionis existat, audeat in posterum, nec praesumat quoquo modo, vel sub aliquo quaesito colore per se, vel per interpositam personam vendere, vel alio quocumque titulo etiam institutionis, vel dotis alienare, retrovendere, permutare, et transferre alicui forensi, vel in forensem bona aliqua immobilia existentia in dicta Terra, vel eius curia, et districtu.

Nec forensis ipse, in quem fieret alienatio, vel translatio possit ex ipsis, vel quocumque alio titulo, iure, vel causa, etiam successionis ab intestato acquirere, vel apprehendere dicta bona absque expressa licentia, et in scriptis a Dominis Capitaneis, et Consilio duodecim obtinenda, et non nisi solutis per ipsum forensem quinque pro Centenario valoris, et extimationis rei ante eius acquisitionem, aut apprehensionem (quae conditio apponi debeat in concessione licentiae, et tamen si ommissa esset auctoritate praesentis statuti intelligatur apposita) sub pœna nullitatis ipsius contractus, seu actus, et ammissionis rei contra formam huius decreti alienatae, translatae, acquisitae, vel apprehensae, ac ipsius pretij, ubi pretium intervenerit, vel intervenisse modo aliquo de iure intelligi poterit, quae pœna incurratur ipso iure, et de facto exigatur, ac applicetur Fisco dictae Terrae.

Et hoc intelligatur de quolibet forensi.

Si vero alienatio in forensem aliquem nobilem, et potentem esset facienda, et alienatio fuerit de domo aliqua sita intra dictam Terram Sancti Marini, et eius mœnia, requiratur licentia Consilij generalis, et contrafaciens furcis laqueo suspendatur ita, quod penitus moriatur, et res ipsa intelligatur ipso iure confiscata absque alia declaratione, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus in praedictis.

Si autem alienatio fuerit de rebus immobilibus sitis extra Terram Sancti Marini eiusque curia, et districtu puniatur in pœna librarum

ducentarum denariorum, et in amissione rei alienatae, et pretij.

Declarantes etiam quod in mulieribus terrigenis quae nuptae sunt forensibus, et possident bona stabilia in Territorio, et districtu Terrae Sancti Marini servetur decretum generalis consilij emanatum anno 1599 mense Iunij de quo in libro propositarum ad cartas 125.

De termino amoto. Rubrica XXXV.

Quicumque terminum, capurnum, seu alium terrafinum, et loco termini existentem per dolum, aut fraudem amoverit, extraxerit, fregerit, inciderit, vel aliquo modo occultaverit in libras quinquaginta denariorum condemnetur, et terminus, seu terrafinus reponatur in locum pristinum. Praesumatur tamen dolus, et fraus, et qualitas termini, vel terrafini contra vicinum, et interesse habentem probata eius amotione, vel occultatione, et inde possit condemnari, nisi contrarium fuerit per eum probatum. Amotione vero, et occultatione non probata praesumatur contra eumdem, si contendat, et neget terminum, vel terrafinum fuisse antea affixum, aut positum in loco, in quo altera pars asseveret, et probet per duos testes idoneos, et ex hoc solo possit torqueri super tali amotione, incisione, vel occultatione auctoritate praesentis statuti quibuscumque in contrarium existentibus, non obstantibus.

Circa vero repositionem terminorum quandocumque orta controversia Domini Capitanei partes ipsas cogere possint ad eligendum homines probos ad terminandum, et terminos ponendum, qui sic electi compellantur, postquam id eis fuerit denunciatum, ad ponendum terminos praedictos inde ad octo dies proximos, iureiurando eis in primis praestito, quod bona fide dictos terminos ponerint, vel aliter prout partes ipsae fuerint concordes, itemque ipsi Domini Capitanei possint ipsis partibus praecipere, sub certa pœna, quod ipsorum electorum terminationem, et diffinitionem ratam, et firmam perpetuo habebunt.

De proijcientibus immunditias in cisternis, puteis, et fontibus. Rubrica XXXVI.

Si quis cuiuscumque conditionis existat immonditias proiecerit in quibuscumque cisternis, puteis, aut fontibus, puniatur arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim, consideratis qualitatibus immunditiarum, conditionem personae proijcientis, ac

etiam loci in quo proijcientur. A qua pœna arbitrata nulla detur appellatio, reclamatio, vel recursus.

Quae quidem pœna pro quarta parte applicetur accusatori cui plena detur fides cum uno teste fide digno, et eius nomen sit secretum, pro alia quarta parte Officiali exequenti, et pro residuo Camerae Communis Sancti Marini.

De poena devastantium moenia, et proijcentium lapides per ripam.

Rubrica XXXVII.

Si quis mœnia, seu muros Terrae Sancti Marini devastaverit, puniatur in pœna vigintiquinque librarum denariorum Camerae Communis de facto applicandarum, et ad loci devastati refectionem teneatur.

Et in pœna librarum decem de facto incurrat quicumque lapides per ripam proiecerit.

De forma in venditionibus cum pacto de retrovendendo observanda.

Rubrica XXXVIII.

Ad obviandum usurarum fraudibus statuendo firmamus, quod venditiones cum pacto de retrovendendo aliter fieri non debeant, nec valide possint, nisi praecedente extimatione per duos probos viros a partibus concorditer eligendos facienda, et coram Dominis Capitaneis, vel Iudice ordinario Terrae Sancti Marini medio iuramento per eos referenda, et non nisi cum decreto Iudicis, et venditio, quae cum tali pacto, (etiam diverso tempore, et separatim facto) aliter facta reperiretur, sit prorsus nulla, ita ut contrarium probari non possit, et contrahentes, ac Notarius de instrumento, seu instrumentis rogatus, et praedictorum non ignarus puniantur, et puniatur quilibet in libris vigintiquinque denariorum Camerae Communis de facto applicandarum.

De poena vendentis rem duobus. *Rubrica* *XXXIX.*

Statuimus, et ordinamus quod nemo in Terra Sancti Marini, vel eius Curia, et districtu audeat, vel praesumat rem eamdem duobus, vel pluribus vendere, nisi simul in uno contractu, vel cum ementium consensu, aut in casibus de iure permissis. Alias contrafacientes pœnam incurrant librarum decem denariorum, si res vendita fuerit mobilis.

Si vero fuerit immobilis, viginti librarum pro quolibet, et qualibet vice, et nihilominus prima venditio auctoritate praesentis statuti valeat, et teneat, et ceteris praeferatur, etiam quod ex alia translata esset possessio, dummodo ex aliquo alio defectu non impediatur.

De poena delinquentium circa custodias.

Rubrica *XL.*

Statuimus, quod electus, sive vocatus ad custodiam Terrae Sancti Marini de nocte, vel de die, accedere debeat competentibus armis armatus, et in loco custodiae, ea durante, continuo morari, nec recedere, ibique vigilare debito tempore, circumspicere, et diligenter custodire sub pœna deficienti in aliquo ex his decem solidorum de facto Camerae Communis applicandorum, et ultra ad arbitrium Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim, etiam corporali, secundum facti, et temporis qualitatem, ita ut tempore belli, vel alicuius suspicionis, aut tristis eventus inde sequuti, semper debeat augeri, et possit, etiam usque ad mortem naturalem inclusive, et intelligatur defecisse, et custodiam non fecisse, quotiescumque facta perquisitione non fuerit repertus in loco custodiae, vel aliter constiterit nisi doceat se de licentia Dominorum Capitaneorum, vel alterius deputati recessisse.

Nemoque ad tales custodias accedat, nec admittatur, vel deputari possit, qui non sit supra quindecim annis, alias habeatur pro non custode, et custodia non facta teneatur ad incursum supradictarum pœnarum, et semper ubi alter fuerit subrogatus loco deficientis, solvat sibi mercedem debitam ultra ipsam pœnam, et in Arcibus pœnae duplicentur.

De canibus qui aliquam bestiam morderent.

Rubrica XLI.

Si quis terrigena, aut forensis, aut habitator dictae Terrae, Comitatus, et districtus habens canem in domo, et ipsum ad mordendum aliquam bestiam incitaverit, quae propterea vulnerata remaneat, et ex tali vulnere moriatur, huiusmodi canis dominus pœnam incurrat solidorum viginti denariorum pro qualibet vice, et damnum semper emendet iuxta extimationem fiendam per extimatores Communis.

Et si canis non esset incitantis prædicti, eamdem pœnam solvat, et damnum occisi animalis emendet.

Si vero animal prædictum non moriretur, sed inutile fieret, dominus canis, seu canem incitans, solvat pro pœna decem solidos.

Sed si aliquis canis ex se ipso absque eo, quod ab aliquo incitatus fuerit aliquod animal interfecerit, vel morsu inutile reddiderit, dominus illius canis illud damnum emendet iuxta dictorum extimatorum extimationem.

Et similiter si aliquod aliud animal aliquod alterum animal interemerit, vel inutile fecerit, dominus animalis damnum emendet, nec sit unquam locus dationi animalis pro noxa.

De lapidicinis impeditis non tenendis, et poena auferentium lapides, aut arenam. Rubrica XLII.

Si quis fodi, seu incidi fecerit lapides in lapidicinis Communis dictae Terrae, teneatur eos exportari facere, vel de loco amovere, ne alios ibidem fodere volentes impediant, infra tempus sex mensium, quo termino elapso eos tollere, vel amovere cuicumque impune liceat, dummodo si eis uti voluerit solvat domino, qui eos foderit, seu fodi fecerit, valorem dictorum lapidum per Dominos Capitaneos arbitrandum aliqua cognitione praemissa.

Si quis autem lapides alicuius, vel arenam alibi existentes abstulerit, teneatur vice qualibet ad poenam solidorum viginti, et ad rei extimationem Domino persolvendam.

De poena forensis commorantis in Territorio, et ipsum hospitantis absque licentia. Rubrica XLIII.

Longa experientia compertum est ex adventu forensium plura nostris hominibus damna, et caedes contigisse.

Volumus propterea, statuimus, et ordinamus nemini in posterum licere, qui non sit oriundus ex hac nostra Terra, vel eius Territorio, et districtu, vel non receptus in civem, et hominem nostrum iuxta formam statuti nostri, in dicta Terra, vel eius Territorio, Comitatu, et districtu, comprehensis et quibuscumque Castris, et locis nobis subiectis, habitare, vel morari ultra trium dierum spatium sub poena scutorum decem, et trium ictuum funis.

Quam poenam incurrere quoque volumus eos, qui eosdem fuerint hospitati, vel aliter quomodocumque in eorum domibus, vel bonis quibuscumque receperint absque licentia in scriptis obtinenda (tam in primo supradicto casu, quam in hoc praesenti capite) Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim.

Declarantes, quod si forensis, ut supra hospitatus, et receptus fuisset bannitus, et capitaliter condemnatus, huiusmodi receptans subiaceat, et subiacere intelligatur poenis in decretis, et bannimentis de receptantibus bannitos, et eorum materia comprehensis.

Cui nulla inde ignorantiae banni praedicti excusatio admittatur.

Immo ob non petitam licentiam praedictam in manifesta scientia fuisse praesumi volumus, et ordinamus, et contrarium probari non posse.

De poena ascendentium, et descendentium per moenia Terrae Sancti Marini, vel aliunde, quam per portas. Rubrica XLIV.

Si ullo unquam in loco acriter, et acerbe animadverti debet in eos, qui muros transcendunt, illos profecto acerrime, et severissime plectendos esse congruit, qui id facere praesumpserunt in Terra libertatis nostrae Sancti Marini cum non sine maximo sumptu, et omnium incommodo, ac damno diurnae, atquae nocturnae fiant excubiae.

Idcirco ut huic morbo salubri succurratur remedio statuimus, et ordinamus, quod si quis posthac transcenderit muros Terrae nostrae praedictae, vel eandem Terram fuerit ingressus, vel egressus, tam de die, quam de nocte, aliunde, quam per portas Terræ prædictæ, talis sic ingrediens, vel egrediens, et eidem dantes auxilium, consilium, et favorem puniantur in poenam centum scutorum Cameræ Communis applicandorum, et per tres propterea annos ad triremes transmittatur. Ita ut nulla ex causa quantumcumque colorata excusari valeat, nec ullus audiatur, vel admittatur pro eo ad illius excusationem constito de facto.

De conventiculis armatis non faciendis.

Rubrica XLV.

Cum conventiculæ quam sæpissime maximos soleant parere errores, idcirco statuimus, et ordinamus, quod nemo terrigena, vel forensis cuiuscumque status, qualitatis, et conditionis existat, audeat, vel præsumat quoquomodo sine expressa generalis Consilij licentia, vel saltem Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim dictæ Terræ coadunare, vel congregare in aliquo loco rustico, vel urbano Terræ prædictæ, seu in aliqua domo propria, vel conducta, ad delictum aliquod, vel malum committendum quatuor homines armatos, vel ab inde supra sub pœna ducentarum librarum pro quolibet congregante, seu coadunante, et librarum centum pro quolibet congregato, ultra pœnam delicti quod committi contigerit, et etiam quod commissum post modum non fuerit, nisi dicta adunatio fieret ad defensionem, non data facultate, et temporis opportunitate pro licentia impetranda.

Et prædicta vindicent sibi locum etiam contra illos, qui ad prædicta, vel aliquod prædictorum facienda, auxilium, consilium, et favorem præstiterint.

Nec amodo quis possit proponere aliquid in Consilio, vel Arengo pro aliquo, qui circa prædicta contrafecerit.

De poena interficentium, vel capientium columbos.

Rubrica XLVI.

Statuimus, et ordinamus, quod quicumque terrigena Terræ Sancti Marini, vel etiam forensis ausus fuerit columbos interficere in Terra Sancti Marini, vel in eius Territorio, Comitatu, et districtu, et in quocumque loco prædictorum, solvat ipso facto scutos decem, et duobus ictibus funis publice plectatur, in quam poenam incidisse, et incurrisse quoque dicatur is, qui columbum aliquem laqueo, vel aliquo alio modo ceperit. Qui vero contra eos tentaverit licet non compleverit, cum per eum non steterit, in dictos scutos decem puniatur.

Et quilibet prædicta denunciare possit, et habeat quartam partem poenae, et eius nomen teneatur occultum.

De poena offendentium in Ecclesia.

Rubrica XLVII.

Considerantes, quod in sacrosanctis Ecclesijs cum pace, et quiete vota competit celebrari, statuimus, et ordinamus, quod si quis in Ecclesia, et dum divina celebrantur officia, aliquem dolose, et animo deliberato occiderit furcis laqueo suspendatur, ita quod moriatur, et sepeliri non possit, nisi de voluntate expressa Consilij generalis, et eius bona publicentur, et in commune deveniant.

Et qui amoverit a furcis, vel amoveri mandaverit sine licentia prædicta de facto in centum librarum poenam incurrisse dicatur.

Si vero in Ecclesia quis aliquem cum sanguine percusserit, aut cum fractura ossis, ultra poenam ipsius delicti ordinariam, banniatur ratione loci perpetuo a Terra Sancti Marini, et eius fortia, et districtu in poenam amputationis manus, qua deliquit, et remissionis in perpetuum exilium.

Si autem sine sanguine, tunc ultra alias poenas in alijs statutis comprehensas banniatur per quinquennium a Terra, et Territorio praedicto in poenam librarum centum Camerae Communis de facto applicandarum.

De falsis. Rubrica XLVIII.

Ne impune falsitas committatur, cuius crimen quam grave sit nemo est qui nesciat, ideo præsenti lege statuimus, quod si quis scienter instrumentum aliquod cuiuscumque generis contractum continens, sive testamentum, vel codicillos, vel donationem causa mortis, acta, sententiam criminalem, vel civilem Iudicis, sive arbitri, vel arbitratoris, aut scripturam privatam iure communi, aut statutario approbatam falso fabricaverit, vel falsitatem in eis commiserit, vel fecerit, aut fieri, fabricari, vel falsificari, vel committi fecerit, quomodocumque, vel qualitercumque tale quid commissum fuerit, vel factum, aut perpetratum, sive scribendo, sive minuendo, sive addendo, sive radendo, sive cancellando, aut mutando, vel aliter quomodocumque veritatem immutando, sibi manus amputetur, ita ut a corpore dividatur, et perpetuo sit infamis.

Si vero quis falso instrumento, vel testamento, vel codicillis, vel donatione causa mortis, vel actis curiæ, vel scriptura privata, sive sententia falsa scienter usus fuerit, in libris centum condemnetur, quam condemnationem si infra dies decem a die datæ sententiæ connumerandos cum effectu non solverit, fustigetur.

Si quis autem falsum testamentum, vel codicillos, instrumentum, vel mortis causa donationem, vel acta curiæ, sive sententiam, vel aliquam scripturam privatam, vel testes falsos, vel similia, scienter in iudicio produxerit, prædictis tamen, vel aliquo eorum non fuerit usus, pro sola productione eorum, vel alicuius ipsorum sine usu, in libris centum denariorum condemnetur, quam condemnationem si non solverit infra decem dies, ut supra connumerandos, mittatur in exilium per quinquennium.

Si quis vero instrumentum, testamentum, vel aliam ultimam voluntatem, sive actum iudicialem, aut scripturam privatam, sive sententiam, vel aliquid simile falsum scienter, vel dolose dictaverit, in scutis centum denariorum condemnetur, quam pœnam si infra dies decem connumerandos ut supra non solverit, in pœnam triremium per quinquennium incidat.

Item si quis in aliqua causa civili, vel criminali pecuniaria excedente summam decem librarum, et ad offensam in iudicio, vel extra coram Dominis Capitaneis, arbitro, vel arbitratore, aut coram aliquo subrogato ab aliquo ipsorum, falsum scienter tulerit testimonium, in scutis centum condemnetur.

Si vero ad defensam in criminali in scutis quinquaginta, et perpetuo sit infamis.

Et parti exinde læsæ nihilominus ad interesse teneatur.

Si vero summa non excederit libras decem, vel in causis damnorum datorum quibuscumque, puniatur si ad offensam in scutis decem, et perpetuo sit infamis, et dignitem, aut officium in Terra, vel curia Sanci Marini habere non possit.

Si vero ad defensam, in dimidia dictæ pœnæ pecuniariæ condemnetur.

Si in criminali vero causa, in qua pœna corporalis in totum, vel in partem principaliter, vel in defectu veniret imponenda, et ad offensam, quis falsum præbuerit testimonium, condemnetur, et illa pœna corporali puniatur, qua condemnatus, aut punitus, seu condemnari, aut puniri deberet ille, contra quem latum est falsum testimonium, si delictum, vel delicta vera fuissent.

Si vero ad defensam in scutis centum, et perpetuo sit infamis.

Si quis autem aliquem testem subornaverit, seu falsum docuerit dicere testimonium in causa civili, vel criminali etiam tacendo veritatem, puniatur eadem pœna, qua testis falsum deponens (servata distinctione civilis, vel criminalis, defensæ, et offensæ, ut supra) si effectus depositionis secutus sit. Sin autem puniatur, ut supra de producente falsum instrumentum, et non utente statutum est per omnia.

Si quis autem contrafecerit sigillum Communis Terræ Sancti Marini quomodocumque, et qualitercumque igne puniatur, et penitus comburatur, ita quod moriatur, si in fortiam Communis pervenerit.

Si vero non pervenerit, tunc etiam eius bona Communi publicentur, et nihilominus ad ignem condemnetur, ut supra.

Mensuram autem, vel pondus falsificans, etiam quod de usu non constet, puniatur in libras quinquaginta, sed si ultra falsificationem de usu convincatur, in libras centum.

Retinens autem scienter, vel utens per mensem, vel a mense infra, etiam una tantum vice, licet non falsificaverit, puniatur in pœna librarum quinquaginta.

Ultra vero mensem pro pluribus vicibus, et usu continuato in pœna librarum centum; et scientia in retinente, et plures vices, ac continuatus usus in exercente artem, vel negotiationem, in quibus pondera, et mensuræ adhibentur, nisi liquido contrarium probatum fuerit, præsumatur.

De poena cudentium, seu expendentium falsam monetam.

Rubrica XLIX.

Omnibus interdicimus falsam monetam cudere, et fabricare, seu cudi, et fabricari facere.

Si quis autem contrafecerit igni vivus concremetur, ita quod moriatur, et domus in qua falsa moneta, sciente domino, cusa, seu fabricata fuerit, eo ipso Communi confiscata esse intelligatur, et sit.

Si vero quis aliquam monetam diminuerit, tondendo, incidendo, vel limando pro qualibet vice in libris ducentis condemnetur, nisi forte dictam monetam inciderit, vel limaverit aliqua alia de causa, quam lucrandi expendendo, de qua causa legitime constare debeat.

Si quis vero falsam monetam scienter expenderit, seu expendi fecerit, si expensum fuerit ultra summam viginti solidorum, in libris centum puniatur, et ultra ad arbitrium pro modo quantitatis, et continuationis: a solidis autem viginti infra in libris vigintiquinque puniatur.

Si vero quis aliquem ducatum falsum ignoranter expenderit nullam pœnam patiatur, sed per Capitaneos huiusmodi moneta, vel ducatus rumpatur, et intelligatur scienter expendisse, seu expendi fecisse, qui data prius opera ad quærendum, et habendum huiusmodi monetam ipsam expenderit, seu expendi fecerit, et aliter iuxta formam iuris communis.

Et Domini Capitanei de contentis in præsenti statuto, tam commissis tempore eorum officij, quam antea, procedere, inquirere, et punire possint, et debeant.

De poena periurij. Rubrica L.

Si quis autem in crimen periurij quoquomodo inciderit, si in causis modici valoris, quas si non excedant summam decem librarum, causas cuiuscumque simplicis damni dati esse declaramus, puniatur in pœnam decem librarum, et parti laesae ad interesse teneatur.

In alijs vero causis, teneatur pœna falsi testis secundum formam cap. de falsis, ut supra.

STATUTORUM

De poena blasphemiae.

Rubrica LI.

Quia maius est peccatum divinam, quam humanam offendere maiestatem, statuimus, quod si quis tam audax, et temerarius existat, ut Deum Opt. Max. aliquo modo blasphemet, maledicat, vel contumelijs afficiat, irrideat, vel eius omnipotentiae quoquomodo detrahat, puniatur in pœnam scutorum vigintiquinque, vel trium ictuum funis publice arbitrio Capitaneorum, et Consilij duodecim, secundum qualitatem blasphemiae, facti, et personarum.

Si vero Beatam Virginem, Sanctum Marinum, vel alios Sanctos in pœnam dictorum Scutorum vigintiquinque, et plus, et minus eodem arbitrio, quas pœnas pecuniarias in dictis casibus si reus non solverit infra mensem actualiter, et integraliter, puniatur in pœnam trium ictuum funis publice dandorum.

Si vero dixerit quis per membra, vel per membrum iuraverit, ut puta per *lo corpo*, vel *per lo sangue*, et ijs similia, si per corpus, vel sanguinem, et ijs similia membra Domini Nostri IESU CHRISTI, vel Virginis MARIAE, in pœnam unius Scuti, si aliorum Sanctorum in dimidia dictae poenae puniatur.

Si quis vero figuram Domini Nostri IESU CHRISTI, Spiritus Sancti, vel Beatae, ac Gloriosae MARIAE Virginis ligno, ferro, lapide, sputo, luto, vel ijs similibus percusserit, vel aliter deformaverit, vel vituperaverit, studiose, vel dolose, manus eidem amputetur, ita ut a corpore separetur.

Si vero aliorum Sanctorum, in libris quinquaginta puniatur.

Capitanei autem habeant facultatem, et arbitrium procedendi, inquirendi, et puniendi de facto sine processu aliquo, et quilibet possit accusare, et denunciare, et ei credatur cum iuramento, et uno teste fide digno, et habeat ipse accusator quartam partem poenae.

Nec eidem accusato, vel denunciato concedatur beneficium confessionis, nec solutionis infra terminum, de quo in hoc statuto loco suo sancitum est, sed ad integram pœnam teneatur.

Immo in omnibus praedictis casibus poenae duplicentur in casibus de quibus supra de duplicatione pœnarum.

De poena homicidij deliberati, vel dolosi, et proposita pro talibus reis non facienda. Rubrica LII.

Statuimus, quod si quis deliberato animo, vel aliter dolose aliquem interficiat, vel taliter percutiat, ut inde moriatur in Terra Sancti Marini, vel eius curia, et districtu, condemnetur in pœnam capitis naturalis, et confiscationis omnium bonorum mobilium, immobilium, iurium, et actionum, quae pœna capitis si tunc, et quandocumque in fortiam curiae condemnatus pervenerit omnino executioni mandetur, ita ut penitus moriatur, et interim sit, et intelligatur diffidatus, et hostis publicus, ac bannitus in persona, et aere.

Nemoque pro talibus homicidiarijs, nec ipsi quidem Capitanei possint supplicare, vel propositam aliquam in Consilio, vel Arengo facere, vel modo aliquo ad eorum favorem quicquam facere, tractare, vel consulere, sub pœna periurij, ac nullitatis actus cuiuscumque, sed quae supra statuta sunt ad unguem observentur.

De homicidio culposo, vel casuali, vel per minorem quatuordecim annis commisso. Rubrica LIII.

Si quis autem homicidium commiserit lata, vel latissima culpa puniatur pœna confiscationis dimidiæ partis bonorum, iurium, et actionum, ut supra, ac perpetui exilij a Terra Sancti Marini, eiusque curia, et districtu. Et si in eo fuerit repertus, impune occidi possit. Et si pervenerit in fortiam curiæ post condemnationem de eo factam, transmittatur ad triremes ad beneplacitum Illustrissimi generalis Consilij.

Si autem fuerit homicidium commissum levi culpa, casu fortuito, aut per minorem quatuordecim annis, puniatur delinquens arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim.

De poena parricidij. Rubrica LIV.

Cum diabolicum sit in eos sævire, qui pietate amplectendi sunt, propterea attrocissimum, et nefandum crimen parricidij condigna pœna punire volentes, hac salubri lege sancimus, quod si quis maior decem, et octo annis dolose, et appensate parricidium commiserit,

et in fortiam curiæ pervenerit furcis laqueo suspendatur, ita ut moriatur, et eius cadaver in quatuor partes dividatur, nec sepeliri possit, nisi de expressa consilij generalis voluntate, et eius bona publicentur, et in Commune deveniant.

Si quis vero sepelierit, et sepeliri mandaverit absque licentia prædicta, de facto librarum centum pœnam incurrat.

Minores autem decem, et octo annis, maiores tamen quatuordecim committentes parricidium dolose, ut supra, banniantur perpetuo a Terra Sancti Marini, eius fortia, Comitatu, et districtu in pœnam amputationis capitis, et eius bona publicentur, ut supra.

Si quis autem citra mortem aliquem ex ascendentibus dolose offenderit, et ipse offensus eum coram iusdicentibus in dicta Terra accusaverit, puniatur in triplum eius, in quo puniretur si extraneum offendisset, et similis pœna sit contra eos, qui verba protulerint iniuriosa contra præfatos.

Si autem ad relatoris denunciam procedatur, puniatur offendens simplici pœna qua offendentes extraneos puniuntur.

Si autem parricidium, et aliae quaecumque offensiones culpa fuerint commissæ puniantur arbitrio Dominorum Capitaneorum, et consilij duodecim considerata qualitate culpae, conditione delinquentis, et delicti, sine clementia tamen, sed potius ad rigorem.

De poena committentis proditionem contra Commune.

Rubrica LV.

Quia proditorum genus pessimum est, cum hominibus in occulto nocere studeant, statuimus, et ordinamus, quod nemo audeat tractare, vel quoquomodo praesumat ordiri, vel facere aliquam proditionem contra Commune Terrae Sancti Marini, nec aliquid tractare, ordinare, vel attentare, propter quod praesens status dictae Terrae, vel eius Castrorum mutari possit, vel ad manus aliquorum inimicorum dicti Communis, et hominum pervenire. Qui vero contrafecerit si capi poterit, et in fortiam curiae devenerit, ut eius pœna sit alijs in exemplum, trascinetur ad caudam asini per Terram Sancti Marini, et ad locum iustitiae ducatur, et ibidem furcis laqueo suspendatur, ita quod penitus moriatur, et eius bona omnia devastentur, et publicentur, et sic devastata, et publicata remaneant in Commune, nec aliqui ex descendentibus ex eo possint aliquo tempore morari, vel habitare in dicta Terra, curia, Comitatu, vel districtu,

nec aliqua bona in eis quoquomodo, vel titulo acquirere. Et si capi non poterit ponatur in bona Communis, in aere, et persona, et similiter in aere, et in persona condemnetur, et semper eius bona, et descendentes ex eo pœnis subiaceant supra scriptis.

Et quilibet in dicta Terra, et eius curia, Comitatu, fortia, et districtu possit eum sine pœna realiter, et personaliter offendere, et eum capere, et in fortijs curiae conducere, et a dicto Communi libras quinquaginta denariorum debeat habere.

Et nemo de dicta Terra, vel eius Comitatu, et districtu possit, vel debeat aliquo tempore pro eo, et eius descendentibus aliquid in eorum favorem dicere, et similiter Domini Capitanei in eorum favorem aliquid dicere, vel proponere non possint in Consilio, vel Arengo, nec aliquis consulere, vel arengare, sub pœna Capitaneis quinquaginta librarum denariorum pro quolibet, et qualibet vice, et Consiliarijs vigintiquinque librarum, et cuilibet alio decem librarum denariorum.

Et nihilominus quod propositum, arengatum, consultum, vel reformatum fuerit in eorum favorem non teneat ipso iure.

Et nemo de dicta Terra, vel eius curia, Comitatu, et districtu cum eo, vel eius descendentibus aliquam participationem habeat, eumque, vel eos in eorum domo retinere, vel receptare possit publice, vel occulte, sub poena contrafacienti librarum quinquaginta denariorum, praeter poenas quae contra bannitorum receptatores imposita reperiuntur.

Et eisdem poenis subiaceant, et condemnari debeant omnes, qui ad praedicta committenda, ordinanda, vel tractanda dederint, vel praestaverint auxilium, consilium, vel favorem. Et etiam qui praedicta sciverint, et Dominis Capitaneis incontinenti non manifestaverint.

De incendiarijs. Rubrica LVI.

Si quis dolose iniecerit, vel immiserit ignem in domum alienam unde combusta sit, vel incensa, si quidem in Terra Sancti Marini, vel Mercatali, caput ei a spatulis amputetur, vel igne comburratur secundum personae qualitatem.

Si vero in alijs locis districtus eiusdem, domum, vel acervum frumenti, aut metas covorum incenderit, ut supra, transmittatur ad triremes per quinquennium.

Si autem paleare, vel fenile, aut metas feni, puniatur poena exilij per triennium.

Haec autem intelligantur, si incendiarius in primis duobus casibus unquam pervenerit in manibus curiae, si vero non pervenerit, puniatur in banno sub dictis poenis, et ultra publicentur eius bona omnia, et fisco applicentur, et omni casu ipsum damnum emendet.

De incidentibus vineas. Rubrica LVII.

QUICUMQUE inciderit, vel incidi fecerit vineam alienam, in totum, vel ultra dimidiam transmittatur ad triremes per triennium, pro dimidia vero, vel infra usque ad octavam partem inclusive plectatur publice tribus ictibus funis, et ab inde infra pro numero vitium condemnetur in poena solidorum viginti pro qualibet vite incisa, et semper damnum, et interesse reficiat.

De poena percutientis cum armis ferreis. Rubrica LVIII.

QUICUMQUE percusserit aliquem cum armis ferreis, videlicet lancea, manaria, falcione, ense, gladio, vel alijs armis ferreis, si a collo supra exclusive, et sine sanguine solvat Communi libras viginti denariorum pro qualibet percussione. Si vero a collo infra inclusive libras decem.

Si vero sanguis exiverit, si a collo supra in facie ita, quod cicatrix remaneat, vel signum evidens, vel deformitas in ea, solvat Communi scutos viginti.

Si autem cicatrix, vel signum apparens, aut deformitas non remanserit, et fuerit a collo supra solvat libras quadraginta denariorum.

Si vero a collo infra libras viginti.

Si vero cum fractura ossis percusserit in quacumque parte corporis, puniatur in duplum eius in quo puniretur si percussisset sine fractura, et idem si membrum aliquod ex percussione ammitteretur, debilitaretur, vel fieret inutile etiam si esset digitus, vel dens.

Declarantes, quod percutiens aliquem cum lapidibus, vel armis ligneis grossis ad mensuram communis hastae prout hasta spontoni, et huiusmodi, puniatur eadem poena, qua puniretur si percussisset cum armis ferreis.

De poena percutientis, et offendentis sine armis.

Rubrica LIX.

Si quis percusserit aliquem in facie, vel capite manu clausa, vel aperta, et vacua, vel calce, aut alia re præter arma ferrea, et quæ armorum vice sunt ex forma statutorum, ita quod sanguis exiverit carne fracta, solvat pro qualibet percussione libras vigintiquinque denariorum.

Et si sanguis non exiverit in medietate dictæ pœnæ puniatur.

In alia vero parte corporis si quis percusserit, et sanguis exiverit, media pœna qua percutiens in facie, et si sine sanguine, quarta parte teneatur, præterquam si cum calce percusserit, et percussus ad terram inde prostràtus sit, quo casu percutiens teneatur, ac si sanguis exiverit, et si alia offensio inde sequatur teneatur pœna impulsus, ut in sequenti statuto.

Si quis iniuriose momorderit in facie, ita quod cicatrix enormis sit perpetuo remansura, vel signum evidens faciem deturpans, æque, ac si cum armis percussisset, ut supra condemnetur.

Et si cicatrix prædicta non remanserit in media pœna puniatur.

Et si in alia parte corporis malo modo momorderit, et sanguis exiverit, in decem libras denariorum, et si sanguis non exiverit, in quinque libras puniatur.

Si vero quis aliquem iniuriose per barbam ceperit, excutiendo, vel trahendo, sive extraxerit pilos, in libras viginti denariorum puniatur.

Si vero per capillos, et captus fuerit maior quatuordecim annis, puniatur capiens in media pœna prædicta, sed si fuerit minor in quarta tantum parte ipsius.

Si autem ceperit per pannos, vel pectus maiorem quatuordecim annis, solvat Communi libras quinque denariorum.

Si minorem, medietatem tantum dictæ pœnæ, et semper interveniente dilaniatione pannorum damnum emendet.

Si quis autem deiecerit alicui capuccium, biretum, vel capellum de capite, aut mulieri velum, in libris quinque denariorum puniatur.

Si quis vero iniuriose aliquem ceperit per nasum, vel manum miserit ad gulam, et sanguis exiverit in libras viginti, et si sanguis non exiverit, in libras decem denariorum puniatur.

Et si quis aliquem iniuriose per terram traxerit, puniatur in omnibus, et per omnia, ac si cum armis percussisset respective secundum facti contingentiam, et qualitatem.

Si quis in facie alicui expuerit studiose, et iniuriose, in libras vi-

gintiquinque denariorum condemnetur. In alia vero parte corporis media pœna puniatur. Sed si aliam turpitudinem, vel morbosam, aut fœtidam rem proiecerit, vel cum ea percusserit in facie, aut super capite, mittatur ad triremes per triennium.

In alia vero parte corporis tantumdem exilij sibi indicatur.

De poena impellentis aliquem.

Rubrica LX.

Si quis aliquem impinxerit, vel urtaverit simpliciter, puniatur sicut percutiens sine armis, ut supra.

Si autem fecerit impulsu cadere, vel aliter percutere in re aliqua, ut lapide, ligno, ferro, vel terra ipsa, puniatur eadem pœna qua puniretur, si impulsum cum armis percussisset, et omnes militent qualitates statutorum loquentium de percussionibus, nisi talis impulsio, et urtatio casu fortuito facta esset, quo casu ad aliquam pœnam non teneatur, sed allegans casum debeat illum legitime probare.

De verbis iniuriosis. Rubrica LXI.

Si quis contra aliquem verba iniuriosa protulerit, si quidem illud quod pluris ceteris extimatur nempe *Becco*, vel æquipolens, scutorum decem, vel trium ictuum funis publice inferendorum pœna puniatur.

Si vero alia verba, veluti, *traditore*, *assassino*, *falso*, vel ijs similia, ad arbitrium Iudicis puniatur pro quolibet verbo, etiam si plura uno ore proferantur, dummodo unum non qualificet aliud, in libras quinque denariorum.

Si vero alia minoris notæ, similiter ad arbitrium in medietate dictæ poenæ puniatur, et idem in qualibet specie iudicetur de improperatione ipsius iniuriæ facta alicui de se, vel suis ascendentibus, descendentibus aut trasversalibus usque in tertium gradum inclusive, quæ si coram Dominis Capitaneis, aut Iudice fieri contingat, et negetur ad iniuriam factum, aut dictum, ipse declaret an fuerit iniuria nec ne, et eius stetur declarationi.

De poena proijcientis lapides ad domum alterius.
Rubrica LXII.

Nemo maior decem annis audeat, vel præsumat iniuriose ad alterius domum lapides, vel aliquod aliud proijcere, sub poena librarum decem pro quolibet lapide.

Si vero super alicuius domum lapides proiecerit ita ut tectum, et cuppos frangat, solvat libras quinque, et semper damnum emendet.

Reservato tamen utroque casu arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim poenam augendi pro qualitate facti, et personarum.

De insultu cum armis, vel sine.
Rubrica LXIII.

Si quis insultaverit, invaserit, sive agressus fuerit aliquem cum armis ferreis, vel ferratis, movendo se de loco ad locum contra insultatum, condemnetur in libris quinque denariorum. Et si sine armis in libris duabus.

Et quicumque insultum, ut supra, fecerit ad alterius domum propriam, vel conductam, vel ad eius casinam, vel possessionem propriam, vel conductam, vel in via, seu strata publica, si cum armis in vigintiquinque libras, si sine armis in decem libras condemnetur, et intelligatur via, et strata publica, per quam publice consuetum est iri, seu stari, et platea, ac Mercatale Terræ Sancti Marini in locis illis in quibus intra domos, vel murum circum circa dictum Mercatale, consuetum est fieri forum, quæ tamen poena non possit aliquo casu vigore aliorum statutorum duplicari.

Si quis ex ipsis insultantibus, una cum insultu, sive post insultum continuato actu, et tempore aliam contra insultatum fecerit iniuriam, ex qua maior poena imponeretur quam poena insultus, tunc poena insultus confundatur, et de poena iniuriæ tantum puniatur.

Et si pro poena insultus maior poena poneretur quam iniuriae, tunc poena iniuriae confundatur, et pro poena insultus puniatur.

Et si ensem, vel similia arma evaginaverit, vel alia corripuerit, seu alias per modum offensae agitaverit absque alio insultu, vibratione, vel admenatione, aut si cum ense, et similibus aliter non evaginatis admenaverit simpliciter absque percussione in libris tribus puniatur.

Et quod dictum est de strata, et via publica, intelligatur de quibuscumque stratis, et vijs in Terra, et districtu S. Marini existentibus, ac eius Comitatu.

De poena infligentis plura vulnera unica vibratione, et percussione.
Rubrica LXIV.

Volentes omnes dubitationes amputare, statuimus, et declaramus, quod si contingat per aliquem unica vibratione, ictu, seu percussione plura vulnera, seu stigmata, et affectiones inferri, sive id eveniat ratione armorum biforcium forsan, et ita naturaliter comparatorum, sive alia quacumque ratione, vel causa, tot poenis ille subiaceat, quot vulnera, stigmata, seu affectiones fuerint, secundum formam statutorum de percutientibus, respective, ut supra, loquentium.

De poena turbantium divinum officium.
Rubrica LXV.

Divinum officium cum omni pace, et reverentia celebrari cupientes, statuimus quod si quis divinum officium alio quoquo modo, quam offendendo in Ecclesia, de quo supra specialiter statutum fuit, studiose turbaverit dum celebratur, vel ipsum celebrantibus, quominus celebrent, impedimentum praestiterit, in duobus ictibus funis publice plectatur.

Et idem statutum intelligatur contra turbantes litanias, vel ipsas celebrantes, sive eorum, vel alicui eorum praestantes impedimentum dum celebrantur. Si vero non studiose, sed tamen ad monitionem celebrantium, vel Capitaneorum, vel eorum mandatorum non destiterint, puniantur in poena decem scutorum.

Item quod nemo maior duodecim annis audeat pila ludere ad muros Ecclesiae Sancti Francisci dum divina officia celebrantur quacumque hora diei, sub poena unius scuti aurei pro quolibet, et qualibet vice sine aliqua diminutione persolvendi.

De privato carcere. Rubrica LXVI.

Statuimus, quod si privata aliqua persona in casu de iure non permisso ausu temerario de aliqua alia persona capturam fecerit, vel in casu permisso, detinuerit tamen ultra tres dies, legalibus pœnis puniatur, minori vero tempore in casu scilicet permisso

capturæ detinens pro qualibet die qua detinuerit puniatur poena librarum quinquaginta, et a die infra poena aliqua non teneatur.

Et si propter metum carceris antedicti aliquid a carcerato exegerit, ultra poenam carceris puniatur, ac si violenter derobasset.

Et si eumdem carceratum ad aliquid quietandum, seu remittendum terrore dicti carceris coegerit, ac si tantumdem ei violenter derobasset puniatur.

Et si metu carceris ad aliquod falsum instrumentum, vel testimonium, vel falsam scripturam, vel quid aliud illicitum detentum induxerit, tamquam principalis auctor sceleris teneatur.

Et si eidem carcerato aliquam iniuriam ultra carcerem intulerit, pro illa in duplum, ac si alteri intulisset puniatur.

De poena frangentis carceres, et fugientis ab eis, et dantis ad id auxilium. Rubrica LXVII.

Statuimus, et ordinamus, quod nemo in carceribus publicis carceratus, vel alibi pro carcere, ex causa civili, vel criminali audeat, vel præsumat frangere, seu rumpere carceres, vel locum ubi detinetur, vel eorum ostium, et inde eo, vel alio quovis modo etiam sine fractura, et ostio, vel finestris apertis aufugere, sub poena confessi debitum in civili, et crimen in criminali; pro quibus detinebatur, etiam quod ignorantiam causæ ipsius detentionis, et carcerationis prætendere potuisset.

Volumus enim utroque casu ipsum haberi pro confesso, et convicto, et non solum in sui præiudicium, sed etiam fideiussorum, et cuiuslibet tertij absque alia Iudicis declaratione, et quod inde possit committi, et relaxari executio contra quemlibet, absque alio processu, et nihilominus ultra dictas poenas in casu fracturae, volumus frangentem condemnari in poenam librarum centum quinquaginta denariorum, etiam quod effectualiter praeventus non aufugerit.

Declarantes quod in eisdem poenis incidat etiam qui ad talia praestiterit auxilium, consilium, et favorem, et etiam quod contra ipsum in causa civili creditor (debitore non existente solvendo) possit executionem, ut supra committi facere: debitore autem existente solvendo poena debiti quo ad auxiliatorem, consultorem, aut fautorem solvenda fisco applicetur, ultra poenam dictarum librarum centum quinquaginta.

De poena ludentium ad aleas, vel taxillos.
Rubrica LXVIII.

Nemo audeat, vel praesumat in Terra Sancti Marini, vel eius curia, et districtu, vel prope confines dictae Terrae per unum milliare ludere ad aleas, seu cartas, nec ad aliquem ludum taxillorum in quo perdatur, vel vincatur pecunia, aut alia res, præterquam ad taroccos, tabulas, vel scaccos, sub poena solidorum viginti pro quolibet, et qualibet vice, et eadem poena puniatur, qui ludum in domo sua acceptaverit, vel ad ludum mutuaverit aleas, taxillos, vel pecunias, vel alium pro eo sive sui nomine ludere fecerit. Et quilibet possit accusare contrafacientem, et teneatur secreto, et habeat tertiam partem poenae, et ei credatur cum iuramento, et uno teste fidedigno.

De vi expulsiva, vel turbativa.
Rubrica. LXIX.

Cum nemini Iudex in facto proprio esse conveniat, praesenti statuto decernimus, et strictius inhibemus, ne quis cuiuscumque gradus, et conditionis existat, audeat, vel praesumat auctoritate propria rem immobilem corporalem, vel incorporalem apud alium existentem invadere, vel possessionem aliquam turbare, nec ius sibi in ea dicere, sed super ea iudicem adeat competentem, et si contrafactum fuerit, vel mandatum præter rei restitutionem, et damni satisfactionem, et turbationis cessationem in libris viginti denariorum puniatur. Nec a dicta poena excusetur prætextu alicuius tituli, nisi illius, quod rei traditionem, vel ingrediendi licentiam ab eodem possessore habuerit, vel licentiam a Iudice in casibus a iure permissis possessore ipso præsente, vel requisito. In quam poenam incurrere volumus quoscumque, qui possessores, vel possessorem non admiserint redeuntem, vel illum impediverint.

Et si dicta poena minor esset, quam dimidium valoris rei occupatæ, sive invasæ, augeatur poena prædicta usque ad ipsum dimidium valoris rei invasæ, et occupatæ, et in qua violentia turbativa fuerit commissa.

Liceat autem accusanti de turbata possessione quandocumque ante sententiam renunciare accusationi, solvendo Communi decem solidos, salvo tamen iure parti accusanti ad expensas, et interesse per capitaneos arbitrando.

De prohibentibus aliquem testari.
Rubrica LXX.

Prohibentes directe, vel indirecte, et quomodocumque aliam personam testari libere, seu aliter in ultima voluntate disponere de bonis suis, in pœnam falsi testamenti, de qua supra sub Rubrica de falsis, incurisse censeantur.

Et ipso facto omne ius, seu commodum, quod in bonis, vel ad bona huiusmodi personæ prohibitæ haberent, seu habere possent, vel sperarent, perdant, et ammittant, et inde ipso facto perpetuo sint privati, et proximioribus post eos deferatur, ita ut ipsis quacumque de causa nulla utilitas, vel commodum acquiri possit, vel ex ipsis acquiratur.

De furtis. Rubrica LXXI.

Si quis furtum commiserit in Terra Sancti Marini, vel eius curia, Comitatu, et districtu, si quidem valoris decem solidorum, vel ab inde infra, solvat quinquaginta solidos.

Si vero a decem solidis supra usque ad quadraginta, solvat libras quinque.

Si vero a solidis quadraginta usque ad centum, solvat libras decem denariorum.

Si vero a centum solidis supra usque ad libras vigintiquinque, solvat libras quinquaginta denariorum, et hoc casu si dictam pœnam non solverit actualiter infra decem dies a die latae sententiae, virgis fustigetur per loca publica, et consueta dictae Terrae.

Si vero a vigintiquinque libras supra usque ad quinquaginta, solvat libras centum denariorum, quas si actualiter non solverit infra terminum in condemnatione praefixum, fustigetur, et bulletur.

Si vero a quinquaginta libris ut supra, cuiuscumque fuerit quantitatis, vel valoris solvat libras ducentum, quas si infra terminum in condemnatione praefixum non solverit, ut supra, per triennium ad triremes transmittatur, et semper, et omni casu praedictorum furtum emendet, et rem furatam restituat.

Si quis autem furari consueverit, et tria furta commisisse constiterit, quorum qualitas, sive extimatio simul coacervata, vel cumula-

ta faciat summam, et valorem librarum vigintiquinque denariorum (etiam quod tertium tantum furtum in Terra, curia, et districtu praedictis fuisset commissum, et pro primis duobus, fur fuisset debite punitus) furca suspendatur, donec penitus moriatur.

Si vero facta coacervatione non ascenderet ad tantam summam, sed tamen decem libris supra, mittatur ad triremes per quinquennium, a decem autem infra fustigetur, et mittatur in perpetuum exilium a Terra, et Territorio praedictis, sub pœna triremium, ut supra, ipso exilio firmo remanente.

Declarantes insuper quod in easdem respective pœnas incidat, non solum qui furatus fuerit intra, ut supra, sed etiam qui extra Territorium, dummodo tamen res furatas attulerit, vel eas contractaverit intra Territorium.

Et praemissa observari volumus contra eos, qui etiam res ubicumque furatas emerint scienter, vel receptaverint.

Quicumque autem per vim alicui abstulerit rem valoris decem solidorum, vel ab inde infra condemnetur in libras decem denariorum.

Si vero a decem solidis supra, usque ad centum, solvat libras vigintiquinque denariorum.

Ab inde vero supra puniatur realiter, et personaliter arbitrio Dominorum Capitaneorum, ita ut semper maior sit pœna, quam simplicis furti absque violentia. Et hoc intelligatur praeter stratas publicas.

Si quis vero in strata publica non occasionaliter, sed data ad id opera derobaverit aliquem de libris quinque, vel re valente tantumdem, vel ab inde supra, furcis suspendatur, ita quod penitus moriatur.

Et ab inde infra trasmittatur ad triremes per quinquennium.

Si vero occasionaliter, puniatur arbitrio, ut supra, facti, et personarum qualitate considerata.

De crimine assassinij. Rubrica LXXII.

Assassinii crimen sicut est inter caetera gravissimum, ita ut debite illud coerceamus, statuimus, quod si per aliquem committi contigerit in Terra, Territorio, vel districtu Sancti Marini, tam assassinus, et offendens ipse, quam mandans, et fieri faciens pari pœna puniantur. Et si quidem offensa processerit simpliciter, et citra mortem membri, vel officij membri, aut nervi truncationem, debilitationem, aut cicatricem, puniantur, et quilibet puniatur etiam ob percussionem sine sanguine

pœna ducentarum librarum denariorum, quæ pœna si non fuerit soluta infra mensem a die latae sententiae, manus dextera utrique amputetur, ita ut a corpore penitus separetur.

Si vero truncatio, debilitatio, aut cicatrix, ut supra intervenerit, aut secuta, seu secutura, aut remansura fuerit, in libris septingentis denariorum quilibet puniatur, quam pœnam si non solverit, ut supra, utraque manus cuilibet abscindatur.

Sed si mors intervenerit, aut secuta fuerit uterque furcis laqueo suspendatur, ita ut moriatur.

Volentes ad maiorem talis criminis detestationem, quod mandans per assassinium offendi, ex solo simplici, ac puro mandato, nullo secuto actu, vel effectu, puniatur pœna librarum centum, et mandatarius, seu assassinus similiter, nisi tamen assassinus incontinenti recepto mandato, vel quam primum potuerit ea Dominis Capitaneis, vel ei contra quem mandatum est revelaverit, quo casu excusetur.

Rursus volentes quod quilibet etiam forensis pro tali delicto, et mandato etiam extra Territorium dato, facto, vel commisso ex eodem processu, et sententia, de qua per publicum constet instrumentum, vel processu, seu sententia de novo faciendo, et ferenda possit in dicta Terra per Dominos Capitaneos, si in eorum fortiam pervenerit, eorum arbitrio in aere, et persona puniri tamquam vagabundus, pro tali quemcumque assassinum, et mandantem, ut supra habentes, et auctoritate praesentis statuti decernentes, et declarantes, quatenus opus sit, et ex nunc, prout ex tunc, quam primum in nostram iurisdictionem se receperit, aut illam attigerit.

Si autem de veritate criminis constare hoc casu non possit, constet autem per tres testes de publica voce, et fama talem forensem esse, vel fuisse assassinum, vel mandatorem, ut supra, adhuc puniri ex hoc solo possit arbitrio eorumdem in ære, et persona, ut supra, et omni casu quo non puniretur ad mortem, ultra pœnam, quæ imponi contigerit, semper a Terra, et Territorio expellatur sub perpetuo banno æris, et personæ.

Assassinus autem intelligatur, et reputetur auctoritate præsentis Statuti quicumque pecunia, vel alia re accepta, vel promissa, aliquam personam offenderit, vel percusserit ad mandatum alterius, seu altero fieri faciente, corruptela, vel pacto pecuniae, vel alterius rei cuiuscumque interveniente.

Item si quis extiterit mediator inter assassinum, et facientem assassinium committi, vel fieri, vel pecuniae, aut alterius rei depositarius, sive promissor ad hoc in-

tervenerit, vel fuerit scienter, in omnibus, et per omnia habeatur, intelligatur, tractetur, et puniatur, ut assassinus præmissus, et locum habeat in præteritis, in præsentibus, et futuris.

De maleficis, veneficis, negromantibus, et similibus. Rubrica LXXIII.

Si quis maleficam, veneficam, seu negromanticam artem exercuerit etiam per unam tantum vicem, seu quicquam ad prædictam artem pertinens fecerit quoquomodo, aut fieri, seu exerceri fecerit, cuiuscumque sexus, extiterit, ex quo mors, seu infirmitas aliqua, aut impotentia alicuius personæ, seu odium, et dissensio inter aliquos sequeretur, postquam fuerit sæculari foro traditus, igne concremetur, ita ut penitus moriatur, eiusque bona omnia publicentur, et Communi publicata esse intelligantur.

Si vero mors, infirmitas, impotentia, odium, vel dissensio, ut supra non sequatur, huiusmodi persona artem prædictam quoquomodo exercens, seu faciens, seu fieri, vel exerceri faciens in libris ducentum denariorum sine diminutione aliqua puniatur, quam pœnam si infra mensem non solverit, manus dextera ei penitus abscindatur.

De raptu, adulterio, incestu, stupro, fornicatione, sodomia, et lenocinio. Rubrica LXXIV.

Si qui maior decem, et octo annis mulierem bonæ famæ nuptam, vel virginem, aut viduam rapuerit, et carnaliter cognoverit, vel stuprum cum puero, seu crimen nefandum sodomiæ commiserit, legalibus pœnis se noverit subiacere, ætatis nulla consideratione habita.

Si vero mulierem raptam non cognoverit, sed tantum libidinis causa rapuerit, ad triremes per quinquennium transmittatur, sed si citra raptum detinuerit invitis parentibus vel consanguineis, quod semper præsumatur, et cognoverit, vel non, aut si prædicta committens fuerit minor dicta ætate minuantur ei dictæ pœnæ arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim.

Si vero quis mulierem aliquam, ut supra, per vim quomodocumque cognoverit legalibus similiter pœnis subiaceat, sed si attentaverit

solum cognoscere mulierem, vel puerum deveniens ad actum proximum, et non cognoverit mittatur ad triremes per quinquennium.

Uxorem autem alterius si aliquis est solutus, et volentem carnaliter alias cognoverit, pœna scutorum centum puniatur, et si vero uxoratus ultra etiam exilio per triennium.

Qui etiam concubinam detinuerit in domo, vel extra pœna scutorum quinquaginta puniatur, et pro simplici aditione, et carnali cognitione alterius mulieris non meretricis in scutos vigintiquinque condemnetur.

Mulier quoque ipsa coniugata quæ sponte adulterium commiserit legalibus pœnis puniatur, et si accusata fuerit per virum, qui eam amplius in domo non retinuerit, ammittat dotes suas, et bona paraphernalia quæ viro applicentur.

Si vero postmodum eam in domo receperit, et retinuerit, et uti uxorem tractaverit, non possit uxor in aliquo condemnari, et iam condemnata dos, et bona prædicta ipso iure intelligantur eidem restituta, et sua sicut ante effecta, firma remanente pœna delicti.

Si quis autem mulierem inclusam, et carceratam, vel heremiticam, seu monacalem vitam in sæculo ducentem carnaliter, etiam volentem cognoverit, foro nostro traditus, pœna capitis puniatur, ita quod moriatur, et quæ dicatur inclusa, et carcerata, stetur arbitrio Dominorum Capitaneorum, et Consilij duodecim.

Incestum vero si quis commiserit cum sua consanguinea, vel affine usque in tertium gradum secundum ius Canonicum inclusive si quidem cum volente, uterque tam vir, quam fœmina pœna capitis puniatur.

Si autem mulier fuerit invita, et coacta vir ipse ea pœna puniatur, mulier autem transeat impunis.

Declarantes tamen, quod in crimine adulterij, et incestus praedictorum procedi nullo modo possit, nisi per accusationem, denunciationem, querelam, vel delationem, et nisi accusante, vel deferente marito, vel patre, avo, matre, avia, filijs, nepotibus utriusque sexus usque in secundum gradum, ut supra computandum, vel fratribus, sororibus, vel filijs fratrum, vel sororum, qui suam quodammodo prosequantur iniuriam.

Quod si mulierem inhonestae vitae, vel malae famae, quae non sit publice prostituta, quis carnaliter per vim cognoverit, pœna Scutorum quinquaginta, et trium ictuum funis publice puniatur, vel alia maiori arbitrio, ut supra.


Si vero meretricem, et publice prostitutam sic cognoverit, dictorum Scutorum quinquaginta pœna puniatur, vel alia maiori etiam

corporali, arbitrio, ut supra, circumstantijs facti, et alijs qualitatibus consideratis. Et vitae inhonestas, ac mala fama mulieris, ut supra, dicatur legitime probata si probetur per propriam confessionem ipsius mulieris, vel per quatuor testes de publica voce, et fama deponentes.

Si autem Iudaeus Christianam, vel Christianus Iudaeam carnaliter cognoverit, tam vir, quam fœmina utroque casu capite puniatur, ita ut moriatur.

Lenones vero cuiuscumque sexus fustigentur publice per Terram; et burgos.

FINIS LIBRI TERTII.



LIBER QUARTUS

DE APPELLATIONIBUS



De electione Dominorum Iudicum in causis Appellationum.

Rubrica I.

Consilium nostrum generale sexaginta virorum post hac eliget viros probos, et idoneos ad numerum viginti, quorum nomina in brevibus describantur, et brevia ipsa in loco apto reponantur, ut congruo tempore duo ex eis in publico Consilio praedicto extrahantur, et extracti Iudices ordinarij causarum appellationum, et aliarum in sequenti Rubrica descriptarum existant.

Qui sic extracti, si forte fortuna consanguinitate, vel affinitate usque ad tertium gradum iuxta iuris Canonici dispositionem computandum adstricti essent Capitaneis, qui pro tempore illo iuxta solitum regent, et gubernabunt, vel etiam inter semetipsos extractos ad eundem tertium gradum attinerent, vel aliqua alia legitima exceptione arbitrio praefati Generalis Consilij non essent admittendi, tunc illi, vel ille, qui sic attinere contigerit,

suo loco reponatur, et vice illorum, vel illius, alteri, vel alter, ut praedicitur, extrahatur.

Idem etiam observando in casu, quod extracti praedicti, vel alter eorum in eodem gradu attinerent, vel attineret alicui ex litem habentibus, aut de aliquo delicto vexato, aut Capitaneis quorum officium, et iurisdictio expiraverit, et eorum sententia, seu pronuncia per appellationem penderet, in illis tamen causis tantum, in quibus attinerent, ut supra.

Firma remanente eorum ordinaria iurisdictione, officio, et auctoritate, in ceteris quibuscumque causis appellationum, et ut infra in sequenti Rubrica.

Et ad obviandum fraudibus, facta dictorum viginti virorum electione praedicta in Consilio generali, ut supra, antequam brevia in loco praedicto reponantur, debeant nomina eorumdem sigillatim per Cancellarium Communis in libro solito registrari cum diei, mensis, et anni adnotatione, exprimendo, quod illa sunt nomina illorum, qui pro futuro tempore in Iudices causarum appellationum extrahentur de semestre in semestrem, donec eorum aliquis supererit.

Et postea alij eligentur, ut supra semper observando.

Brevia autem praedicta apud praefectum archivij publici permanere debeant, et per eum in publico Archivio diligenter sub duabus diversis clavibus custodiri, quarum una penes Dominos Capitaneos pro tempore existentes, et altera penes praefectum praedictum remanebit.

Et insuper locus in quo brevia ipsa reposita fuerint sigillo Communis muniri debeat, ne brevia videri possint, nisi tempore extractionis praedictae in publico Consilio, ut supra. Pœna cuiuscumque praedictis, vel alicui praedictorum contrafacienti privationis officij, quod gereret, et scutorum decem pro dimidia Camerae Communis applicandorum, pro quarta accusatori, et pro alia quarta parte executori.

Declarantes quod in procedendo unus eorum Iudicum praedictorum absque altero procedere possit, in sententiando autem ambo simul intervenire debeant.

De officio, et iurisdictione Dominorum Iudicum appellationum, et de appellationibus interponendis ab eis.

Rubrica II.

Statuimus, et ordinamus, quod Domini Iudices appellationum praedicti sint, et esse debeant Iudices appellationum, et nullitatum, et reclamationum, restitutionum in integrum principaliter etiam propositarum, et reductionum ad arbitrium boni viri, etiam ab arbitris, et arbitratoribus, licet possint etiam partes super ijs recurrere ad ordinarios in casibus in quibus iure communi permittitur.

Et in appellationibus interponendis, et nullitatibus dicendis a dictis Dominis Iudicibus appellationum, vel gestis ab eis, et ab alijs Officialibus dictae Terrae ad Consilium duodecim ipsius Terrae debeat appellari, et ipsi in illis sint, et esse intelligantur Iudices competentes.

Qui possint dictam appellationis causam committere alicui probo viro partibus non suspecto in Territorio, vel extra.

Possint autem Iudices appellationis ferre sententias, et totum processum fabricare in quolibet loco, et non vitietur propterea sententia, nec processus. Coram ipsis autem Iudicibus si de nullitatis dictione, restitutione in integrum, vel reductione ad arbitrium boni viri tractabitur principaliter, prout tractari posse decernimus, serventur statuta, et ordinationes omnes quae in materia appellationum servantur.

Idem statuendo si coram Consilio duodecim per appellationem agetur.

De appellationibus, et querelis interponendis ab interlocutoria, gravaminibus, et nullitatibus, et infra quantum tempus causa expediri debeat. Rubrica III.

Quicumque senserit se gravatum ab aliqua interlocutoria, praecepto, vel gravamine, quod dicto, vel facto diceretur inferri, a tali gravamine, interlocutoria, vel praecepto possit, et sibi liceat appellare, provocare, et de nullitate dicere, et querelare, dummodo huiusmodi querela, vel appellatio, vel de

nullitate dictio fiat infra duos dies a die sententiae numerandos, in illis non computata die illati gravaminis, alias non audiatur.

Et si praedicto modo appellaverit, vel querelatus fuerit, vel alias de nullitate dixerit, teneatur suam querelam, vel appellationem, vel nullitatem introducere coram Iudicibus appellationum praedictis infra alios quinque dies post praedictos immediate sequentes, si appellatum, querelatum, vel de nullitate dictum fuerit a gravamine, quod diceretur illatum per Dominos Capitaneos dictae Terrae iurisdictionem exercentes in dicta Terra Sancti Marini.

Si vero ab alijs Officialibus dictæ Terræ, infra quintam diem, et infra alios quatuor dies a die introductæ appellationis debeat docere de omni causa gravaminis, iniustitiæ, vel querelæ per omnem speciem, et modum probationis, tam per testes, quam per statuta, et instrumenta, et ex actis in causa prima factis, ut iura mandant.

Post quos terminos praedictos dicti Domini Iudices infra quatuor dies causam prædictam terminare debeant.

Addentes, quod ab huiusmodi interlocutorijs, vel gravaminibus sufficiat sentienti se gravatum dicere solo verbo, et viva voce appello, vel conqueror, vel dicat se gravatum.

Quæ verba vim habeant veræ appellationis, querelæ, vel nullitatis, et ac si esset in scriptis appellatum, et deductum specifice causa gravaminum, dummodo postea de causis gravaminum doceat in terminis prædictis, ut supradictum est.

Nec teneatur appellans, querelans, vel de nullitate dicens Apostolos petere quoquo modo.

Et si pars appellans, vel de nullitate dicens tam in appellando, et de nullitate dicendo, quam introducendo, tempora supradicta non observaverit, appellatio intelligatur deserta.

Et idem si infra prædictos quatuor dies Iudici datos ad terminandum, ut supra, saltem bis in actis non fuerit protestata, Iudicem interpellando, quod causam laesam terminare debeat.

Et tempore introductionis appellationis pars appellata citari debeat, quæ si voluerit per Procuratorem comparere, producere teneatur procurationis mandatum in forma probanti, nisi fuerit persona legitimata in prima causa coram Iudice a quo appellatur, quod si non fuerit factum, possint Iudices appellationis in causa procedere parte ulterius non citata.

Idemque servetur, si Procurator a prima citatione nullo modo comparuerit.

Declarantes quod sic a quacumque sententia interlocutoria appellari non possit, nisi prius actualiter pars appellans deposuerit penes Notarium causæ unum scutum aureum, quod si appellans in dicta appellatione succubuerit pro dimidia parte fisco, et pro alia dimidia adversae parti applicabitur, et cum effectu postea solvetur secuta confirmatione pronunciæ super interlocutoria praedicta.

Alias Iudices ipsi de suo solvere teneantur.

Et appellationes praedictae ab interlocutorijs praedictis factae absque depositione praedicta sint, et esse intelligantur nullae, et in ipsis procedi quoquomodo non possit sub dicta pœna.

De appellationibus interponendis, a diffinitiva, et infra quantum tempus causa expediri debeat.

Rubrica IV.

Cupientes unicuique iustitiam administrari, et attendentes, quod iudicium unius ius potest laedere plurimorum, et quod illud iudicium recta dicitur veritate fulciri, quod plurimorum sententia comprobatur, statuimus, quod quilibet qui se gravatum, vel gravari posse ab aliqua sententia diffinitiva sentiret, possit, et sibi appellare liceat viva voce ab ipsa diffinitiva sententia tempore latae sententiae, et per totam diem latae sententiae, etiam postquam Iudex a banco recessit, postea vero in scriptis appellare possit, et debeat infra decimum diem tantum a die latæ sententiæ numerandum.

Quas appellationes viva voce, vel in scriptis factas, appellans teneatur introducere infra decem dies à die interpositae appellationis numerandos coram Iudicibus appellationum, cum citatione partis appellatae ad prosequendum causam appellationis.

Quibus citatione, et introductione factis, sive pars citata comparuerit, sive non, Iudex det terminum octo dierum utrique parti ad iustificandum, et impugnandum, et ad probandum hincinde quicquid partes probare voluerint, quod parti contumaci, vel eius Procuratori notificabitur.

Infra quos octo dies pars tam appellans, quam appellata opponere, allegare, ac probare debebit de iure suo, tam per testes, quam per instrumenta, et omne aliud genus probationum, parte in primo termino non

comparente ulterius non citata. Quo termino elapso publicetur processus.

Demum Iudices terminum assignent quinque dierum utrique parti ad accipiendam copiam omnium productorum, et attestationum, et actitatorum in causa appellationis, et ad opponendum hinc inde quicquid voluerint, et potuerint tam contra producta, quam contra processum, et testes, et opposita probandum.

Post quem terminum non audiatur amplius aliqua partium ad aliquas alias probationes faciendas, nec ad productiones instrumentorum, vel aliarum scripturarum, sed in causa conclusum esse intelligatur, et probationibus renunciatum.

Post quae Iudices, citatis partibus, vel ipsis praesentibus, vel monitis, terminum hinc inde assignent octo dierum ad allegandum in iure quicquid allegare voluerint.

Quo termino elapso Iudices per sententiam causam appellationis diffiniant, prout iustitiae merita suadebunt.

Ita partes ipsae, et Iudices sese gerendo, quod causam ipsam Iudices praedicti terminent, et diffiniant infra duos menses continuos, detractis ferijs suprascriptis a die factae appellationis numerandos.

Quod tempus nullattenus augeri, vel prorogari possit per Iudices, nisi propter absentiam, vel iustum impedimentum ipsius, vel partium, vel nisi prorogatio facta fuerit de ipsarum partium voluntate.

Et si pars appellans tam in appellando, quam in introducendo suprascripta tempora non servaverit, appellatio intelligatur esse deserta, prout deserta quoque intelligatur, si postquam elapsus fuerit terminus praedictus, ad allegandum in iure, ut supra, non fuerit saltem bis Iudicibus appellationis praedictis protestatum penes acta, quod causam per sententiam terminare debeant.

Et idem si pars negligens fuerit in ponendo causam in diffinitivis infra dictum tempus servando terminos praedictos, quos terminos, et dies terminorum praedictorum utiles esse volumus.

De appellationibus interponendis ab interlocutorijs habentibus vim diffinitivae. Rubrica V.

STATUIMUS, et ordinamus, quod si contigerit appellari ab aliqua interlocutoria, quae vim habeat diffinitivæ, idem modus, tempus, et forma in omnibus, et per omnia quoad tempus appellandi, et appellationem introducendi, servetur, quæ in appellando a diffinitiva servantur.

Quoad autem modum, et formam prosequendi, et tempus finiendi serventur termini, et tempora posita supra.

In quibus casibus non liceat appellare.

Rubrica VI.

ITEM statuimus, et ordinamus, quod nemo audiatur appellans in causa civili, qua ipse fuerit sponte confessus, et testibus superatus.

Nec possit appellari ab aliqua mera executione, nisi modus exequendi excederetur.

Et tunc nihilominus non retardetur, si posset per Iudicem appellationis reparari.

Nec appellari possit a solutionibus tributorum, vel collectarum fiendis Communi, vel alijs pro eo, in quibus appellatio nullatenus admittatur.

Quod non liceat nisi semel tantum appellare, et de duabus sententijs conformibus. Rubrica VII.

FINEM litibus imponere cupientes, statuimus, et ordinamus quod a sententia lata per Iudices appellationum super appellatione interposita a quacumque sententia interlocutoria, vel diffinitiva, non liceat ulterius appellare, nec aliquo modo reclamare, nec supplicare, etiam per modum recursus, quando sententia Iudicum concordat, et conformis est cum prima sententia a qua fuerit appellatum.

Si vero sententia Iudicum appellationis discordat a prima sententia, et aliqua partium ab ipsa sententia Iudicum appellationis discordante a prima, ut supra, diceret se gravatam, possit petere, ipsam sententiam Iudicum, in partibus non conformibus tantum, revideri cum consilio sapientis infra octo dies a die latæ sententiæ numerandos.

Qua revisione petita consilium duodecim, coram quo prædicta revisio peti debeat, statuat terminum partibus duorum dierum ad dandum suspectos, et confidatos.

Qui suspecti, et confidati debeant per partem nominatim, et specifice nominari, nec sufficiat in genere nominare, et suspectos allegare.

Quod Consilium duodecim prædictum debeat suam sententiam, ut supra, revidendam committere uni ex confidatis nominatis ab utraque parte.

Si vero partes in confidatis non essent concordes, tunc si appellatum fuerit a sententia Iudicum appellationis lata super appellatione interposita ab interlocutoria, committat alteri partibus non suspecto cuicumque sibi placuerit, dum tamen committat infra quinquaginta milliaria a Terra Sancti Marini.

Si vero reclamatum fuerit a sententia Iudicum appellationis lata super appellatione interposita a diffinitiva, vel interlocutoria habente vim diffinitivæ, et partes non essent concordes in confidatis, tunc Consilium duodecim, vel saltem duæ partes ex eo debeant causam revidendam committere consilio cuiuscumque voluerint, dummodo non sit pro suspecto, et specifice ab aliqua partium nominatus.

Consultoris autem, et nuncij salarium taxari debeat per transmittentem causam, et processum ad consilium sapientis prædictum, sive sint Iudices appellationis, sive consilium duodecim.

Quod salarium realiter deponi debeat infra duos dies post commissionem factam penes unum ex Notarijs appellationum per illum, qui peteret causam revideri, reficiendum tamen in casu victoriae per partem succumbentem.

Nec a dicto Consilio possit aliquo modo reclamari, vel appellari in partibus conformibus, ut supra.

Et si per aliquam partem suspecti, et confidati infra dictum terminum dati non essent, tunc Iudices, vel Consilium duodecim committat uni ex confidatis alterius partis.

Si vero ambæ partes fuerint negligentes committat cuicumque sibi placuerit.

Si vero pars petens sententiam revideri infra terminum prædictum consultoris, et nuncij salarium non deposuerit, tunc sententia Iudicum appellationis remaneat firma, et penitus inconcussa.

Quod si Consultor cui causa commissa fuerit infra quindecim dies postquam acta fuerint exhibita suum Consilium nuncio non reddiderit, committens possit alteri committere servatis omnibus, quæ circa primam commissionem servata fuerunt, ut supra.

De poena Dominorum Iudicum non expedientium causam infra tempus. Rubrica VIII.

Iudices appellationis teneantur, et debeant quamlibet causam appellationis coram ipsis introductam, et ab aliqua partium legitime prosequutam per sententiam terminare infra tempora statuta superius sub Rubrica de appellationibus interponendis a diffinitiva, sub pœna vigintiquinque librarum denariorum, et nihilominus teneantur parti læsæ ad interesse.

Et intelligantur Iudices fuisse negligentes, et propterea dictas pœnas incurrisse, si appellatio fuerit ita prosequuta, quod esset in terminis expeditionis, et per Iudices staret, quominus suum officium iuridice impartirent, et requisiti fuissent per aliquam partium, quod causam deberent per sententiam terminare.

Vel si appellatio non fuerit prosequuta, et Iudices fuerint a parte requisiti, ut ipsam pronunciarent esse desertam propter debitam prosecutionem non factam. Et hoc non vendicet sibi locum, si Iudices fuerint impediti propter absentiam, infirmitatem, vel aliud iustum impedimentum, ut iura mandant.

Quod liceat causa nullitatis, et iniquitatis simul, et semel proponi, prosequi, et terminari.

Rubrica IX.

Ut lites efficiantur breviores, statuimus, et ordinamus, quod in quibuscumque appellationibus, restitutionibus in integrum, reductionibus ad arbitrium boni viri, et quibuscumque querelis possit simul, et semel, de iniquitate, et nullitate deduci.

Et intelligatur deducta ubi non esset specificatum.

Ita quod sententia data super una intelligatur data super utraque.

Et sufficiat appellatio sine alio libello.

Et etiam si sententia lata fuerit super desertione, vel peremptione instantiæ alterius ipsarum causarum, et una deserta altera sit, et intelligatur esse deserta.

Quod Iudices appellationis teneantur dari facere acta, et actitata. Rubrica X.

Iudices appellationis, et primus Iudex a quo appellatum fuerit, et quilibet eorum requisiti, teneantur dari facere copiam actorum factorum in causa a Notario, qui fuerit rogatus, recepta competenti mercede, ita quod partes ipsæ possint infra terminum producere, sub pœna vigintiquinque librarum denariorum Iudici, qui in præmissis negligens extiterit.

Quae Iudicis negligentia partibus ipsis nullatenus obesse debeat.

Quod in modicis laesionibus si pronunciari contigerit bene appellatum, possit Iudex remittere causam principalem Iudici primo pro expeditione. Rubrica XI.

Iudices appellationum, quando appellaretur ab aliqua interlocutoria mera, vel mixta, possint et eis liceat, si ita eis expediens esse videtur, remittere causam principalem, terminata causa appellationis, Iudici primo, ut ipsam causam principalem terminet, et diffiniat, non obstante, quod appellans in aliquo gravaretur, dummodo gravamen non lædat ius principale, sive ipsum negotium de quo principaliter quæritur.

Quibus diebus, et temporibus termini, et tempora non currant. Rubrica XII.

Statuimus, et ordinamus, quod in causis appellationum, et alijs vertentibus coram Iudicibus appellationum, vel coram Consilio duodecim non currant tempora, nec termini, sed in eo statu esse intelligantur, et sint ab eo die quo Iudex causam cognoscens, se absentaverit a Terra Sancti Marini usque ad eius redditum, et diem sequentem.

Item ab eo tempore quo Iudex causam cognoscens removeretur usque ad quatuor dies post adventum successoris ad dictam Terram.

Item omnibus diebus feriatis propter vindemias, et messes, et

omnibus diebus feriarum repentinarum, et feriatis in honorem Dei Opt. Max. comprehensis supra in alijs statutis, exceptis tamen causis criminalibus, civiliter intentatis, nec non damnorum datorum, in quibus termini, et tempora currere debeant tempore feriato ob messes, et vindemias, sicut currunt in ipsis primis causis criminalibus, et damnorum datorum a quibus extitit appellatum.

Item termini, et tempora non currant quotiescumque Iudex causae pronunciaret tempora, et terminos non currere propter contumaciam, vel inobedientiam alterius partium, quo casu illi parti, pro qua pronunciatum esset, tempora, et termini non currant.

Et quotiescumque Iudex in alijs casibus sibi ex forma statutorum permissis pronunciaret terminos, vel tempora non currere.

In huiusmodi casibus dicta tempora, et terminos non currere ordinamus. Cetera vero tempora volumus esse iuridica. Permittimus tamen Iudici causam cognoscenti, quod ubi suaderet iustitia possit iuxta iuris communis dispositionem, ex iusta causa restitutionem facere temporum, et terminorum.

Quod appellatione pendente nihil debeat innovari

Rubrica XIII.

Quia iuri consonum est, quod donec pendet examen, et cognitio appellationis, alterius Iudicis officium conquiescat, ideo statuimus, et ordinamus, quod interposita appellatione viva voce, vel in scriptis, in casibus in quibus non est expresse prohibitum appellari, Iudex a quo appellatur nihil innovare debeat in rebus, et in personis, usque quo per Iudicem appellationis aliud fuerit declaratum, sub pœna vigintiquinque librarum denariorum si fuerit ab interlocutoria appellatum.

Si vero a diffinitiva puniatur Iudex innovans per Iudicem appellationis in quinquaginta libris denariorum Communi applicandis.

Et in omnibus casibus Iudex prædictus innovans alijs quoque subiaceat pœnis, quae iure communi propterea imponuntur.

Innovatio autem fieri non intelligatur si ad ulteriora procedatur ante inhibitionem Iudicis, quando esset ab interlocutoria appellatum.

De concordia producenda coram Iudicibus appellationum.

Rubrica XIV.

Statuimus, et ordinamus, quod accusatus, denunciatus, vel inquisitus, qui non habuerit concordiam de maleficijs, in quibus contra eum procederetur prout in statutis nostris disponitur, et ipsam concordiam, vel instrumentum concordiae non produxerit ipse, vel alius pro eo, coram ipsis Dominis Iudicibus appellationum in causa procedentibus infra terminum, seu terminos in dictis statutis contentos, postmodum minime admittatur, nec huiusmodi productio coram dictis Iudicibus appellationum facta ipsum inquisitum quo ad beneficium solutionis capitis solidi debeat in aliquo relevare.

Et praesens capitulum vindicet sibi locum in illis tantum, ad quae, et ad quos dicta statuta se extendunt.

De deposito fiendo per appellantes, et illo restituendo in casu quo in causa appellationis fiscus Communis succumberet.

Rubrica XV.

Cum multi potius per subterfugia, et cavillationes ad evitandas pœnas, quam pro gravamine per Dominos Capitaneos Terrae Sancti Marini in aliqua condemnatione, praecepto, seu actu contra ipsos, seu ipsis facto in maleficijs, et alijs causis mixtis criminaliter intentatis, damnis datis, et extraordinarijs, et omnibus alijs, in quibus pœna pecuniaria Communi venit applicanda, et in quibus, etiam corporaliter veniunt condemnandi, appellant, et reclamant confidentes plerumque amicorum benevolentia, vel consanguineorum affiniumve favoribus, ex quo delinquentes ipsi, et inobedientes de eorum commissis, et inobedientijs transeunt impuniti in grave damnum, et præiudicium Communitatis prædictæ; statuimus huic morbo providere volentes, quod quicumque senserit se gravatum ab aliqua condemnatione, sententia, præcepto, seu actu contra ipsum facta, seu lata per Dominos Capitaneos dictæ Terræ in causis prædictis, et propterea ab ipsa sententia, condemnatione, præcepto,

seu actu, tam in scriptis, quam viva voce appellare, seu reclamare voluerit, possit, et valeat aliquo in contrarium faciente non obstante.

Dummodo infra terminum quinque dierum proxime futurorum a die factæ, seu vivae vocis emissæ appellationis prædictæ computandorum, nummis cum effectu, et realiter, non ficte traditis, dictus appellans, et reclamans, seu eius legitimus Procurator ad hoc speciale habens mandatum deposuerit penes Massarium dictæ Communitatis pro tempore existentem infrascriptas pecuniarum quantitates, videlicet si fuerit de quantitate, pœna, seu condemnatione decem librarum, vel ab inde infra, solidos centum.

A decem libris usque ad quinquaginta libras inclusive, libras decem.

A quinquaginta libris supra usque ad centum libras inclusive, libras quindecim.

A centum libris supra quantacumque fuerit quantitas, et etiam in qualibet pœna personali, seu corporis afflictiva principaliter, vel conditionaliter, libras triginta denariorum deponat.

Qui vero appellans, et sic, ut supra, deponens infra dictum terminum prædicta observaverit, per Dominos Iudices appellationum audiatur, et eius appellationi deferatur, et ius, ac iustitia administretur.

Volentes, et statuentes tamen quod si dictus appellans huiusmodi depositum infra dictum terminum modo, et forma prædictis non fecerit, et facere recusaverit, tunc Domini Capitanei impune dicto elapso termino, et deposito prædicto non facto, contra eum ad executionem condemnationis, sententiæ, praecepti, seu acti, ut supra lati, et facti, realiter, et personaliter, prout eis de iure visum fuerit, procedant, et procedere possint, et teneantur, eius appellatione facta non obstante, etiam si super ea inhibitum fuisset, et perinde habeatur, ac si non appellasset.

Volumus insuper, et statuimus, quod si appellans ipse, et deponens, ut supra, in causa appellationis mediante iustitia obtinuerit, et absolutus fuerit a condemnatione, pœna, praecepto, seu actu aliquo facto contra ipsum incontinenti sibi, aut eius heredibus per dictum Massarium depositum praedictum penitus totum, et integrum restituatur, sub pœna decem librarum denariorum Massario negligenti, et nihilominus semper ad dictam restitutionem teneatur, et cogi possit.

Si vero appellationem huiusmodi appellans ipse iuxta formam suprascriptorum statutorum infra terminum debitum non fuerit prosecutus, aut quod in dicta causa appellationis mediante iustitia succubuerit, praeceptum, sententia, aut condemnatio, sive actus contra ipsum lata, et factum,

seu factus omnino exequatur, et executioni demandetur realiter, et personaliter, ut supra, cum integra expensarum refectione, per Comunitatem praedictam, seu eius Syndicum, et Procuratorem in dicta causa appellationis factarum. Et deponens praedictus depositum praedictum auctoritate praesentis statuti perdat, et ipso iure intelligatur, et sit Communitati praedictae applicatum.

FINIS LIBRI QUARTI.



LIBER QUINTUS

EXTRAORDINARIORUM

De Beccariis eligendis, et eorum officio.

Rubrica I.

Statuimus, et ordinamus, quod omni anno tempore quadragesimali banniatur per loca consueta Terrae Sancti Marini tribus vicibus cum interventu trium, vel quatuor dierum inter unum bannimentum, et aliud, quod quicumque voluerit beccariam exercere in dicta Terra, compareat coram Dominis Capitaneis, et superstite victualium ad offerendum se paratum facere, et exercere dictam beccariam cum specifica declaratione pretij ad quod dare,, et vendere voluerit libram carnium vendendarum per ipsum anno sequenti cuiuslibet generis carnium, incipiendo in Paschate Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi inclusive, et ut sequitur finiendo usque ad carnis privium inclusive, ac etiam ad offerendum quantitatem pecuniae, quam dare voluerit Communi dictae Terrae pro datio, sive gabella dictae beccariae pro dicto anno.

In quibus quidem bannis, et singulis ipsorum bannorum exprimatur, quod dicta beccaria dabitur, et concedetur illi, qui dare, et vendere voluerit carnes pro minori pretio, et cui solverit maiorem quantitatem pro datio praedicto.

Deinde publicatis bannimentis supradictis in generali Arengo

per quindecim dies ante Pascha prædictum, vel circa, more solito subhastetur dicta beccaria alta voce per Plazarium Communis, et bannitorem, et concedatur per Dominos Capitaneos, et superstitem victualium illi, qui promiserit vendere carnes pro minori pretio, et solvere maiorem pecuniarum quantitatem pro datio, et gabella prædicta, et utiliora facere pro Communitate, et ementibus Carnes prædictas, super quibus omnibus plenissimam habeant auctoritatem.

Et dictus beccarius modo prædicto electus promittere, et iurare debeat bene, legaliter, et sine fraude dictam beccariam exercere per dictum tempus, et dare, ac vendere carnes cuilibet emere volenti pro pretio promisso, et firmato, et idonee satisdare de observando prædicta, et omnia ad quæ tenetur vigore præsentis statuti, et pœnas quascumque per ipsum incurrendas solvere.

Teneaturque dictus beccarius sic electus facere ad eius beccariam carnes porcinas, castratinas, ac bovinas, et alias etiam carnes omnibus diebus quibus carnes comeduntur, et die quolibet Sabbati pro die Dominico, et alijs diebus vigiliarum pro die sequenti, qua carnes, ut supra, comederentur, vel toties quoties ei mandatum foret per Dominos Capitaneos, vel superstitem, seu alterum eorum sufficienter, pœna contrafacienti solidorum decem qualibet vice qua contrafactum fuerit.

Teneatur etiam dictus beccarius vendere carnes ad pondus dicti Communis bullatas bulla dicti superstitis, qui pro tempore fuerit, et vendere, ac dare iusto pondere. Alias si repertus fuerit vendere carnes, et iusto pondere non vendidisse, puniatur in quinque solidis pro qualibet uncia, quae esset minoris ponderis Communis, et pro qualibet uncia, quae esset minoris ponderis, teneatur dare emptori uncias duas carnium praedictarum.

Carnes vero bovinas vendere debeat secundum extimationem fiendam per superstitem victualium, pœna viginti solidorum qualibet vice, qua contrafactum fuerit.

Nec beccarius praedictus audeat, vel praesumat interficere aliquod animal, seu aliquam bestiam causa vendendi, nisi prius superstiti Communis manifestaverit, bestiam ostendendo, pœna decem solidorum pro qualibet bestia.

Nec debeat dictus beccarius vendere unguellas, neque mostacios ab oculis infra, vel pedes, seu gambettos subtus genua ad pondus, pœna quinque solidorum pro qualibet vice.

Et superstites victualium, et Plazarij Communis etiam unus absque altero possint scrutari omnes carnes venditas per dictum

beccarium, et eas portantes, ad videndum, an in aliquo per beccarium fuerit contraventum.

Declarantes, quod dictus beccarius teneatur solvere Communi, seu Dominis Capitaneis, vel cui, aut quibus per Consilium generale fuerit ordinatum omnem ratam, seu pecuniarum quantitatem, quam pro datio praedicto solvere promisit in principio temporis, sive anni praedicti, ad tempus, et terminum statutum in capitulis suae electionis, aliquo pacto in contrarium faciente non obstante, nisi per Consilium praedictum maius, vel minus tempus ad solvendum fuerit datum, vel ordinatum. Ad quam quantitatem ut supra solvendam possit dictus beccarius, et eius fideiussor per Dominos Capitaneos realiter, et personaliter cogi, et compelli de facto omni iuris solemnitate ommissa.

Statuentes etiam, quod nemo possit a Communi beccariam accipere, et alteri postea dare, aut vendere, pœna contrafacienti vigintiquinque librarum, et nullitatis actorum.

De poena beccariorum vendentium carnes morbo affectas, et unam carnem pro alia.

Rubrica II.

Nullus beccarius, vel alia quaevis persona audeat, vel praesumat in terra Sancti Marini, vel eius districtu carnes morticinas, vel morbosas morbo aliquo naturali, aut quomodolibet affectas, quae contrariae, et nocivae hominum sanitati existant, vendere, alias in pœnam incidat centum librarum pro qualibet vice, qua vendiderit, et privetur in perpetuum arte beccariae, et nunquam in dicta Terra, vel curia carnes aliquas etiam licitas vendere possit.

Carnes vero lupatas, seu modo aliquo maculatas, seu stramazatas nullo modo alicui vendere liceat intra muros, et mœnia dictae Terrae, nec etiam in alio loco extra muros ubi consuetum sit vendere carnes ad pondus, seu mensuram, sed tantummodo in loco statuto extra muros ad vistam, seu beneplacitum, ita quod aperte, et clare sciatur ipsas fore defectivas.

Nec etiam liceat vendere carnes scrofinas diebus Sabbati, Dominicae, et Iovis, nisi ijsdem diebus etiam habeat alias carnes legitimas ad vendendum, de quibus commode petentibus satisfacere possit, sub pœna praedicta.

Minus possit beccarius aliquis carnes scrofinas pro porcinis, vel pecudinas pro castratinis, vel alias quascumque unam pro alia

vendere, vel eas simul mixtas tenere, sed quamlibet per se separatim, sub pœna viginti librarum denariorum pro vice qualibet.

Et Domini Capitanei, et superstites teneantur saepe, ac saepius inquirere, et contrafacientes punire, et condemnare modo praedicto de facto omni iuris solemnitate ommissa.

Et quilibet praedicta accusare possit, et denunciare, et teneatur secretus, et accusator habeat medietatem pœnae.

De carnibus affectis non apportandis. Rubrica III.

Statuimus, et ordinamus, quod nullus forensis, vel terrigena audeat, vel praesumat apportare per se, vel per alium aliquas carnes affectas, vel morbosas ad Terram Sancti Marini, seu eius Curiam pœna vigintiquinque librarum pro qualibet vice, et quolibet contrafaciente.

Nemoque audeat, vel praesumat carnes praedictas emere pœna quinque librarum, pro quolibet, et qualibet vice, et qualibet libra.

Et quilibet possit accusare, et denunciare, et habeat medietatem pœnæ, et teneatur secretus.

Hoc tamen addito, quod si ante vulnerationem prædictam, de qua supra in proximo præcedenti statuto loquente de carnibus lupatis, aliquis partem haberet in dictis bestijs lupatis, vel stramazatis, ut supra, et hoc legitime probaverit, apportare, et apportari facere possit partem suam ad Terram prædictam ad vendendum, extra tamen portam more consueto.

In quibus carnibus, ut supra stramazatis, et lupatis, seu vulneratis, beccarij prædicti ad eas vendendas nullatenus se intromittere debeant, pœna quadraginta solidorum pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice.

De superstitibus beccariorum, et rerum comestibilium, quae venduntur ad minutum. Rubrica IV.

Statuimus, et ordinamus, quod deinceps more consueto eligatur unus superstes pro sex mensibus proxime sequendis, qui electus in principio eius officij teneatur, et debeat in manibus Dominorum Capitaneorum pro tempore existentium eius officium promittere bene, et legaliter, et sine fraude exercere, modis, et conditionibus in hoc capite descriptis, et ita iure iurando solemniter affirmare.

Debeat igitur curam habere, et prohibere beccarijs ne aliquis eorum bestias causa vendendi ad beccariam absque eius expressa licentia occidere debeat, vel interficere, nec debeat ipse aliquo pacto eas occidendi præstare consilium, nisi talis bestia occidenda fuerit legalis, sana, et legitima, pœna dicto beccario occidenti sine licentia viginti librarum pro qualibet bestia bovina, et pro bestijs minutis quinque librarum pro qualibet.

Idem statuendo in superstite prædicto aliter licentiam concedente.

Debeatque superstes antedictus dare modum, et pondus eidem beccario ad quod vendat, et pretium carnium quæ venduntur ad pondus iuxta capitulationem superinde firmatam.

Quæ si fuerint contrafacta, in pœnam conventam ipso facto incurrant beccarij praedicti.

Teneaturque dictus superstes saepius revidere panes vendendos, ut iuxta hactenus observatum morem debitam panis quantitatem pro modo pretij grani cuilibet vendant, et quod sit bonae qualitatis arbitrio Dominorum Capitaneorum, alias solvant panifaculi bononenos quinque pro quolibet bononeno panis, et panem amittant.

Item teneatur curam habere, ut vendentes vinum, et oleum ad minutum habere debeant mensuras iustas, et bullatas bulla ipsius superstitis.

Eodem modo curam habere debeat, ut hospitatores mensuras iustas, et bullatas, ut supra habeant, tam pro vendendo vinum, quam etiam bladum ad minutum.

Debeatque idem superstes sæpissime, saltem semel in mense, sub pœna viginti solidorum pro qualibet vice, qua contrafecerit, scrutari atque perquirere pondera, et mensuras prædictas, ut omnia prædicta diligenter observentur.

Quod pelliparij non proijciant molsam. *Rubrica V.*

Nullus pelliparius proijciat, nec proijci faciat molsam, nec aliam turpitudinem in platea Communis, nec in stratis publicis, aut vijs Terræ Sancti Marini etiam in mercatali, et in plagijs, alioquin contrafacientes in pœnam decem solidorum vice qualibet incurrant, cuius pœnæ medietatem habeat accusator.

Declarantes quod quilibet pelliparius pelles ante eorum stationem impune scutere possit, dum tamen statim postea omnia mundet ante dictam stationem.

De scaffis, seu foedarijs ita tenendis quod non decurrant in plateas.

Rubrica VI.

Quicumque scaffas, seclarios, cloacas, vel latrinas super plateas, vel vias publicas Terræ Sancti Marini habuerit, eas sic tenere debeat, quod putredo, seu immunditia, in plateas seu vias publicas non exeat, vel decurrat, et qui contrafecerit solvat pro pœna solidos viginti pro qualibet vice, cuius medietatem habeat accusator.

Hoc etiam declarato quod nemini liceat habere, vel tenere prædictas scaffas, seclarios, cloacas, vel latrinas, vel aliquam putredinem proijcere super terreno, vel androne quod exeat in domo, terreno, vel porticu alterius, ita quod vicinus proximus damnum patiatur, vel fœtorem, sine ipsius vicini, vel domini voluntate, et qui contrafecerit solvat pro qualibet vice solidos viginti, et a prædictis desistere cogatur.

Quod roncentur sepales, sive nemora iuxta vias publicas.

Rubrica VII.

Omnes sepales, seu fractæ stantes iuxta vias, et stratas publicas Communis roncentur, aperiantur, et disgombrentur per homines contratæ, quorum sunt dicti sepales, a calendis mensis Martij usque ad calendas Iunij, ita quod transeunti equestri, vel pedestri, vel cum salmis aliquod non faciant impedimentum, vel molestiam.

Et in hoc stetur dicto accusatoris, vel denunciatoris, et habeant medietatem pœnæ, quae erit decem solidorum pro qualibet vice, et nihilominus praedicta facere teneantur.

Quo termino elapso, si ille cuius fuerit sepalis praedicta non observaverit, liceat unicuique sine ulla pœna dictas sepes, seu sepales aperire, roncare, et disgombrare ad effectum praedictum.

Quod nullus emat res comestibiles causa revendendi sine licentia.
Rubrica VIII.

AD obviandum malitijs aliquorum, qui causa revendendi carnes comestibiles emunt carius, quam vendantur per apportatores, statuimus, et ordinamus, quod nullus terrigena, vel forensis, et praesertim tricoli, tabernarij, et hospitatores audeant, vel praesumant in foro, seu mercato, vel prope per unum milliare tempore fori, emere aliquod comestibile causa revendendi antequam per Dominos Capitaneos eis data fuerit licentia; pœna viginti solidorum, et amissionis rerum, ut supra, emptarum, quorum medietas sit Communis, altera vero executoris, et accusatoris.

Quod autem sit comestibile emptum causa revendendi, et de tempore, hora, et loco, vel distantia loci penitus Dominorum Capitaneorum arbitrio, et declarationi remittimus.

Quod habentes pistrinum ab oleo non permittant immunditias discurrere per vias publicas.
Rubrica IX.

OMNES habentes molendina, aut alia artificia ad oleum in Terra Sancti Marini, mercatali, et in plagijs teneantur ita providere, quod morchiæ et immunditiæ descendentes a dictis pistrinis, seu artificijs non discurrant per stratas, et vias publicas, pœna cuilibet contrafacienti viginti solidorum pro qualibet vice, et nihilominus prædicta servare cogantur.

De domibus, terrenis, et hortu vicini clausis tenendis.

Rubrica X.

QUILIBET qui habet, vel habebit domum, terrenum, vel hortum alterius, ita prædicta clausa tenere debeat, quod eius vicinus damnum non patiatur. Alias damnum emendare cogatur, et nihilominus in decem solidis condemnetur, et prædicta claudere teneatur.

De vijs, et plateis publicis non occupandis, nec aliud super eis construendo. Rubrica XI.

Nemo occupet, vel occupatas teneat aliquas plateas, vias, vel stratas publicas in Terra Sancti Marini, seu in aliqua parte eius curiæ, vel districtu, nec aliquid in eis, vel supra eas construere, vel ædificare; et qui contrafecerit vice qualibet in vigintiquinque libris puniatur, et nihilominus realiter, et personaliter de facto restituere, et relaxare teneatur ædificium, et illud incontinenti demolire, et ruere coerceatur.

Et superstites Capellarum dictæ Terræ teneantur, et quilibet etiam alius possit, si voluerit, contrafacientes accusare, et denunciare.

Immo in qualibet Capella dictæ Terræ, et eius Curiæ, et districtus eligantur superstites ad prædicta, qui prædicta denunciare teneantur sub pœna viginti solidorum pro quolibet, et vice qualibet si fuerint negligentes.

Si quis vero fregerit, vel fregi fecerit aliquam stratam, vel viam publicam, teneatur illam præter prædictam pœnam, suis impensis in pristinum statum reducere, et easdem stratas, seu vias, aut plateas occupatas sic aptare, et manutenere teneatur, quod idoneæ, et sufficientes sint adeo, quod per eas libere, etiam cum sarcinis, et bestijs onustis iri possit.

Ubi autem dubium verteretur circa viæ latitudinem, determinetur in directum via octo pedum communium, et in anfractum, seu revoltam duodecim pedum.

In locis nempe ubi cum birocio, seu curru iri consuevit.

Alibi vero sit in arbitrio superstitis, et hoc præcise teneantur fieri facere Domini Capitanei infra decem dies postquam eis fuerit denunciatum.

Et qui facere recusaverit, solvat solidos viginti, et nihilhominus prædicta facere teneatur, et quilibet accusare, et denunciare possit, et teneatur secretus, et ei credatur cum uno teste, et cum eius iuramento, et quartam habeat partem pœnæ prædictæ.

De via propria ita tenenda quod vicinam possessionem non damnificet. Rubrica XII.

Quicumque viam propriam habet prope alterius possessionem, ita illam tenere debeat, quod homines iuxta dictam viam agrum, seu possessionem habentes nullum valeant damnum substinere. Alias damnum quodcumque emendet ad extimationem ipsiusmet substinentis suo iuramento interveniente, usque ad quantitatem viginti solidorum, et ab inde supra iuxta modum ordinarium extimationis fiendæ.

Quod nemo proijciat lapides in vias Communis. Rubrica XIII.

Nemo lapides proijcere debeat in vias Communis a piscaria sursum, et a loco Fratrum Sancti Francisci citra, et a mercatale sursum, pœna decem solidorum pro qualibet vice, et lapides proiectas amovere teneatur.

Quod non occupetur strata Communis a porta usque ad cantonem. Rubrica XIV.

Nemo debeat proijcere lapides, nec terrenum, vel immunditiam aliquam in viam, sive plateam, quæ est a porta loci dictæ Terræ usque ad cantonem, pœna contrafacienti viginti solidorum, pro qualibet vice, et proiectum amovere teneatur.

De extrahentibus aquam de suo cursu. Rubrica XV.

Quicumque aquam de suo cursu extraxerit in praeiudicium alicuius viae, seu alterius agri, vel possessionis, mittendo etiam aquam, quae de suo exit agro, seu campo, aut possessione in aliquam viam, vel in alterius bona per curiam Sancti Marini, et eius Territorium, et districtum, si dicta aqua aliunde extrahi poterit, quam per viam praedictam, ut ad alterius campum non vadat, solvat pro pœna libras decem pro qualibet vice, et aquam in pri-

stinum reducere teneatur infra decem dies sub pœna quadraginta solidorum. Et quilibet accusare possit, et habeat quartam partem pœnae, et ei credatur cum uno teste fide digno, et insuper damnum semper emendet.

De poena fontes, seu puteos, seu cisternas devastantium, et prope eos lavantium. Rubrica XVI.

Nemo audeat, vel praesumat aliquo modo laedere, destruere, vel devastare fontem aliquem existentem in Curia Sancti Marini, seu puteos intus, vel extra dictam Terram, sive cisternam Communis pœna centum solidorum, nec prope dictum fontem laborare pœna viginti solidorum pro qualibet vice.

Nemo etiam audeat, vel praesumat lavare pannos, nec alias res prope dictos fontes per spatium unius perticae, nec in eos, vel prope eos aliquod turpe immittere, facere, vel committere pœna quinquaginta solidorum pro quolibet, et qualibet vice. Et eadem pœna puniantur illi quorum bestiae equinae, asininae, porcinae, et alterius cuiuscumque generis repertae fuerint super platea vulgariter nuncupata *il pianello*, et super alia quae dicitur *le cisterne dei fossi*, pro quarum cisternarum, et earum aquae conservatione Domini Capitanei, qui pro tempore fuerint, omnem adhibere diligentiam teneantur.

Quilibet autem contrafacientem accusare possit, et habeat medietatem pœnae, et teneatur secretus, et eius tantum iuramento credatur usque ad quantitatem vigintiquinque solidorum.

De fossatibus, et aquarum cursibus manutenendis.

Rubrica XVII.

Quicumque agrum habuerit iuxta fossata, vel cursum aquarum, teneatur, et debeat ipsa fossata, et aquarum cursum ita munda tenere, quod via communis, seu agri in aliquo non laedantur.

Laboratores autem agrorum teneantur ipsi eorum impensis dicta fossata munda tenere, pœna qualibet vice solidorum decem, et damnum emendent, et quilibet accusare, et denunciare possit, et habeat quartam partem pœnæ.

De balconibus non tenendis supra domum alterius, et de non proijciendo aliquid per fenestram.
Rubrica XVIII.

Non liceat alicui aliquem habere balconem supra domum alicuius, nec aliquid per fenestram supra alicuius domum projicere, pœna decem solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et nihilominus balconem removere teneatur.

De rocca non portanda per mulieres ad fontes, nec quando permanent ad vendendum aliquid in foro, vel alibi.

Rubrica XIX.

Nulla mulier eundo ad fontem, seu cisternam, vel stando in platea, seu stratis publicis Communis, vel in foro, seu mercato dictae Terrae ad vendendum panem, oleum, poma, aut quid aliud comestibile debeat portare, seu tenere aliquam roccam ad filandum, seu ubicumque staret ad vendendum pœna quinque solidorum pro qualibet. Idem statuendo de mulieribus stantibus ad emendum.

De habentibus domum iuxta alterius domum, quod ita stillicidia conservare debeat quod vicina domus non laedatur.

Rubrica XX.

Quilibet habens domum vicinam ita stillicidia, et cuppos, ac lignamina tenere debeat, quod in pluendo vicina domus non laedatur.

Nec stillicidia suae domus transeant ultra dimidiam partem androni, ne ultra pluat supra vicinam domum.

Et qui contrafecerit, solvat vigintiquinque solidos pro qualibet vice.

Et omnia ad modum debitum reducat, ut supra dictum est.

Et quilibet suo iuramento accusare possit.

De non sepeliendo mortuum in alterius sepultura.
Rubrica XXI.

NEMO audeat, vel præsumat aliquem mortuum, vel aliquam personam mortuam in alterius sepultura ponere absque domini licentia, pœna quadraginta solidorum pro quolibet, et vice qualibet: si causa huiusmodi cognoscatur in foro saeculari.

De immunditijs non proijciendis in plateis Sancti Marini.
Rubrica XXII.

NEMO, sive terrigena, sive forensis audeat, vel praesumat proijcere a fenestris, vel ostijs, aut balconibus, vel quovis alio loco aliquam immunditiam, vel putredinem. Et qui contrafecerit solvat solidos decem pro qualibet vice, et quilibet accusare possit, et habeat medietatem pœnae.

De poena non vendentium cannas, nec vincum ad mensuram Communis. Rubrica XXIII.

NEMO vendere, vel emere possit cannas, vel vincum, nisi in fasciculis ad mensuram Communis, videlicet duorum pedum cum tertio alterius pedis communis pro quolibet fasciculo, ligatura vero fieri debeat per spatium unius pedis communis a pedalibus supra.

Et quicumque contrafecerit tam in vendendo, quam in emendo, solvat pro pœna solidos decem pro quolibet fasce. Et quilibet accusare, et denunciare possit, et habeat medietatem poenae.

De poena vendentium salmas lignorum non iustae mensurae.
Rubrica XXIV.

OMNES vendentes ligna ad salmam teneantur, et debeant salmas lignorum facere longitudinis unius passi Communis.

Et qui contrafecerit puniatur in decem solidos, et in amissione lignorum.

De poena ponentium scalas, vel aliquid ad murum Communis. Rubrica XXV.

Statuimus, et ordinamus, quod nemo ponere possit scalas, vel aliquid aliud, ut puta litamen, lapides, lignamina vel huiusmodi, ad murum Communis, vel in via prope murum in praeiudicium muri, aut quod praebeat, vel praebere possit auxilium volentibus ascendere, vel descendere per muros Communis, et qui contrafecerit, solvat pro poena vice qualibet libras decem denariorum, et nihilominus apposita, vel immissa removere teneatur.

Et quilibet accusare possit, et habeat medietatem poenae.

De vino puro sine aqua, vel aquaticcio praestando. Rubrica XXVI.

Quicumque vinum alicui ex aliqua causa dare tenetur illud purum sine aqua, et sine aquaticcio dare debeat. Alias damnum emendet, et interesse praestet parti, et solvat Communi pro poena libras vigintiquinque denariorum.

Salvis tamen pactis, et promissionibus inter partes factis.

De foveis molendinorum cavatis tenendis, nec fiendis in terreno vicini. Rubrica XXVII.

Quicumque habuerit molendina in Curia, et districtu Sancti Marini teneatur, et debeat foveas ipsorum molendinorum cavatas, apertas, et habiles tenere, ac manutenere, pœna cuilibet contrafacienti viginti solidorum. Et si culpa, vel negligentia ipsorum damnum aliquod ex dictis foveis alteri fuerit causatum, ad emendationem damni compellatur.

De recipientibus arras. Rubrica XXVIII.

Quicumque receperit, vel dederit arras occasione alicuius emptionis, vel venditionis, teneatur promissa adimplere, alias duplum dictarum arrarum adimplenti solvere teneatur.

Quod nemo aperiat aliquod necessarium.
Rubrica XXIX.

Nemo aperiat aliquod necessarium, ita quod fætorem emittat per Terram Sancti Marini.

Alias solvat solidos viginti, et nihilominus infra terminum unius diei omnem putredinem amovere, et necessarium claudere teneatur, adeo quod nullus ibi fætor sentiatur.

Quod nemo ponat aliquod corium ad siccandum.
Rubrica XXX.

Nemo ponere debeat aliquod corium ad siccandum a porta loci usque ad domum Communis pœna cuilibet contrafacienti decem solidorum pro quolibet, et qualibet vice, et positum amovere teneatur.

Quod nemo debeat ingombrare plateas.
Rubrica XXXI.

Nemo debeat ingombrare plateas Terræ Sancti Marini aliquo lignamine, vel aliquo alio impedimento.

Et si aliqua necessitas contigerit, quod poni debeat lignamen aliquod, possit apponere, dummodo id infra mensem inde amoveatur, pœna decem solidorum.

Platea vero Communis intelligatur per totam Terram Sancti Marini.

De poena proijcientis, vel immittentis immunditiam, vel putredinem aliquam in cisternas existentes in planello, et in cisternas de fossis. *Rubrica XXXII.*

Nemo audeat, vel præsumat proijcere aliquam immunditiam, vel putredinem, seu aliquid ponere ad stagnandum in cisternas existentes in planello Communis, vel in cisternas de fossis, poena quinquaginta solidorum pro quolibet, et qualibet vice. Et quilibet possit esse accusator, et habeat medietatem pœnæ, et teneatur secretus.

De poena lavantis pannos, vel aliquid aliud turpe agentis prope cisternas existentes in planello, et de fossis, ut supra, et in ipso etiam planello. Rubrica XXXIII.

Nemo, sive terrigina, sive forensis audeat, vel præsumat lavare pannos, vel aliquid aliud turpe gerere prope dictas cisternas planelli, et de fossis, nec aliquid tenere, vel habere in dicto planello, ut puta animalia quæque, linum, et similia, quæ putredinem, et immunditiam emittere, ac generare, vel causare solent, ad hoc ut planellus ipse semper mundus permanere debeat sub pœna prædicta.

De poena laborantium in diebus festivis. Rubrica XXXIV.

Statuimus, et ordinamus, quod nemo, sive terrigena, sive forensis laboret cum bobus in diebus Dominicis, vel Paschatum, Nativitatis, et in Festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, et Sancti Marini Advocati, et Patroni nostri, pœna quinquaginta solidorum pro quolibet, et vice qualibet.

In festivitatibus vero duodecim Apostolorum, et Sancti Laurentij, Sancti Sebastiani, Sancti Antonij de Padua, Sancti Quirini, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sancti Martini, et in aliis festivitatibus, quæ a Sancta Matre Ecclesia venerari solent, pœna viginti solidorum. Et in medietate dictarum pœnarum pro manuali artificio. Prohibentes ne artifices possint in dictis diebus bancas suarum stationum tenere apertas causa laborandi sub iam dicta pœna. Et quilibet accusare possit, et habeat medietatem pœnæ, et teneatur secretus.

Quod terreni existentes circa fontes terminentur. Rubrica XXXV.

Terreni omnes circumstantes fontibus Curiæ, et districtus Sancti Marini terminentur per Officiales viarum Communis, et postea infra illos terminos non præsumat aliquis, nec audeat ponere, vel lavare aliquam immunditiam, vel putredinem, et qui contrafecerit solvat vice qualibet solidos viginti, et quilibet cuiuscumque sexus, vel ætatis existat accusare possit, et denunciare.

I^{m}

De poena lavantis coria prope aquam vivam.

Rubrica XXXVI.

NEMO lavet coria, seu pelles prope vivarium aquæ vivæ, alias solvat pro quolibet, et vice qualibet solidos decem, et quilibet accusare possit, et habeat medietatem pœnæ.

Quod quilibet debeat scopare ante domum suam, et ibidem aliquid turpe non tenere. Rubrica XXXVII.

QUICUMQUE posuerit ante domum suam in qua habitat aliquam immunditiam, litamen, vel aliquid turpe, debeat illud post tres dies a die qua illud ibidem posuerit amovere. Alias solvat pro pœna solidos decem, et nihilominus amovere teneatur.

Et quilibet etiam habitator dictæ Terræ teneatur, et debeat scopare, et scopis, vel aliter diligenter ante eius domum mundare, semel ad minus in hebdomada, sub dicta pœna decem solidorum, et hoc fieri debeat per vocem præconis.

De ponderibus, et mensuris bullandis. Rubrica XXXVIII.

CUM nemo cum aliena iactura locupletari debeat, statuimus, et ordinamus, quod quicumque vendere voluerit granum, vinum, oleum, et quodcumque aliud ad pondus, seu mensuram, teneatur vendere cum ponderibus, et mensuris adæquatis, et iustatis cum ponderibus, et mensuris Communis Terræ Sancti Marini, et eiusdem bulla bullatis. Contrafacientes teneantur de facto ad poenam solidorum vigintiquinque, et ad refectionem deceptionis in duplum emptori.

Declarantes quod quolibet anno pondera omnia, et mensuræ artificum, et aliorum vendentium debeant adæquari, et bullari bulla Communis, ut supra, in primis scilicet octo diebus mensis Januarij sub pœna solidorum decem.

Quod nullus alius possit pedagium exigere, nisi deputatus.

Rubrica XXXIX.

Nemo audeat, vel præsumat, datia, pedagia, vel gabellas, exigere in Terra Sancti Marini, seu eius districtu, nisi solum pedagiarij deputati per Capitaneos dictæ Terræ, pœna vigintiquinque librarum denariorum, et aliarum etiam corporalium arbitrio Consilij generalis Terrae praedictae.

Qualiter forenses recipiuntur. Rubrica XL.

Quicumque advena incolatum in Terra Sancti Marini contrahere voluerit, et effici civis, et homo dictae Terrae debeat in primis habitasse familiariter in eadem Terra, seu eius Territorio, ac districtu per spatium sex annorum continuorum, et non aliter. Et in dicto tempore optime ibidem vixisse, et postea suum desiderium per preces explicet in generali Consilio sexaginta virorum dictae Terrae in quo si per duas tertias partes suffragiorum obtinuerit, civilitatem acquirat.

Et in die receptionis praedictae promittat cum iuramento in manibus Cancellarij Communis coram Dominis Capitaneis pro tempore existentibus per se, et suos descendentes nunquam verbo, opere, vel facto, palam, vel occulte venire contra libertatem, et statum dictae Terrae, nec secreto tenere si quid ad eius notitiam pervenerit, quod aliquo modo statui, et regimini dictae Terrae nocere possit, immo quam primum poterit, id Capitaneis qui pro tempore fuerint, notificabit, sub pœna quam Capitanei recipientes eum, vel eos apponi facient eorum arbitrio attenta personarum qualitate.

Qui sic admissi gaudeant immunitate onerum personalium per tempus decem annorum.

Quo tempore finito onera personalia, et mixta, ut ceteri originarij dictæ Terræ subibunt.

Nec aliter facta admissio prædictorum valeat ullo modo.

Quantum accipere debeant molendinarij pro molitura.

Rubrica XLI.

Omnes, et singuli molendinarij Curiæ, et districtus Sancti Marini omnibus, et singulis personis ad eorum molendina euntibus facere debeant bonam farinam, omni dolo, fraude et malitia remotis.

A quibus pro molitura, et suo labore accipere debeant libras quatuor grani pro quolibet mastello.

Nec debeant in molendino aliam mensuram retinere, quam illam, quae eis ex dicta causa bullata foret, et consignata per superstitem Communis, pœna cuilibet contrafacienti centum solidorum Communi applicandorum, cum refectione omnium indebite ablatorum partibus molentibus praedictis.

Quod consuetudo cuiuscumque consueverit ire per alterius agrum domino agri non praeiudicet.

Rubrica XLII.

Si quis ire et redire cum bestijs, vel sine, consuetus esset per alterius agrum, per aliquam redenam, seu senterium, ex hoc nullum domino agri, nec iuri suo inferatur praeiudicium.

Quibus sic euntibus, et redeuntibus nullum ius eundi, et redeundi acquisitum esse intelligatur, seu praescriptionem aliquam sibi acquisitam, cuius ope se tueri possint.

Sed huiusmodi euntes, et redeuntes per publicas vias iter facere debeant.

Declarantes illam esse redenam, vel senterium quae nunquam fuit, nec est terminata.

Hoc etiam addito quod praedicta sibi locum vindicare non dicantur in ijs qui consueti sunt ire, et redire, ut supra, per tempus, cuius initij non extat memoria in contrarium.

Et similiter in habentibus causam, vel titulum, in quibus casibus iura communia observari volumus.

De via, vel semita non facienda per semitam alterius, et de quaestionibus viae, vel confinium. Rubrica XLIII.

Cum ex vijs, et senterijs plurima soleant iurgia nasci, statuimus, quod quicumque iter, vel accessum fecerit per alterius agrum personaliter, vel cum bestijs, solvat communi solidos quinque vice qualibet, præter tamen pœnam de qua in volumine damnorum datorum de damnum dantibus personaliter, vel cum bestijs, quibus per præsens statutum nullo modo derogari volumus.

De cuius accessu domini agri dicto, vel cuiuslibet etiam eius famuli, domestici, vel coloni credatur cum simplici eorum iuramento.

Liceat tamen cuicumque, qui aliquem habet agrum, ad quem non sit via, iter, vel accessus ire per alienos agros convicinos, si laborandi, vel fructus colligendi necessitas immineret, habita tamen prius licentia a domino agri per quem accessum habere intendit, quam licentiam si dominus agri prædictus dare recusaverit, eo casu ad instantiam petentis, Capitanei, qui pro tempore fuerint, ex eorum officio teneantur, et debeant huiusmodi dominum agri, per quem iter, et accessus petitur, cogere ad eligendum una cum petente prædictum iter, vel accessum, unum, vel duos probos viros, qui habeant facultatem, et arbitrium declarandi, et designandi locum per quem volunt accessum haberi personaliter, vel cum bestijs per locum prædictum tempore necessitatis, iuxta id quod res, vel tempus exposcet pro laborerijs faciendis, et fructibus colligendis, ita tamen quod fiat cum minori damno, et incommodo dominorum prædictorum, quo fieri poterit.

Cum declaratione etiam pretij, et mercedis, ad quam idem petens viam, et accessum teneri debeat domino rei praedictae.

Et si per praedictos eligendos praedicta non exequerentur, seu si dolo, vel fraude procederent in praedictis, tunc Domini Capitanei una cum duobus de Consilio duodecim a partibus eligendis ad locum praedictum accedere debeant, et praedicta executioni mandare.

Et quodcumque per eos, ut supra gestum, vel factum fuerit, plenam obtineat firmitatem.

Idem observari mandantes, si quis assereret se viam habere per alterius agrum, vel fundum ratione servitutis, vel alicuius concessionis, seu reservationis simplicis, et indistinctae.

Quae omnia per duos probos viros, ut supra, et successive per

praefatos Dominos Capitaneos, et duos de consilio per accessum ad locum summarie, de plano, sine strepitu, et figura iudicij, recepto tamen ab ipsis partibus iuramento cum praefixione pœnae non parenti declaratis, vel declarandis, debeant praedicta declarari, iudicari, et terminari.

De grippis non sappandis, et spatio ab eis dimittendo.

Rubrica XLIV.

Quicumque agrum, vel aliam habet possessionem ex parte inferiori, non debeat grippum illius explanare, nec sappare, aut ligonizare, qui possessionem habet ex parte superiori per spatium unius pedis versus grippum praedictum.

Et qui contrafecerit solvat Communi centum solidos, et explanatum, et sappatum in pristinum reponat.

Stetur autem iuramento illius, qui possessionem habet ex parte superiori, inspectione tamen prius per Iudicem facta in loco praedicto, nisi id testibus comprobare voluerit.

Et intelligatur semper dominum possessionis qui erit ex parte inferiori sappare, vel explanare fecisse, vel eius laboratorem, et colonum.

Si autem ille, qui habet possessionem ex parte inferiori, vel alter, qui habet ex parte superiori, petierit quod inter ipsos in loco termini affigantur, id exequi debeat mediantibus duobus probis viris a partibus ipsis eligendis.

Semperque praesumatur grippus esse possidentis a parte superiori, nisi contrarium extiterit probatum.

De capris non tenendis. Rubrica XLV.

Ad evitandum damna, quae in dies a capris in Territorio, et districtu nostro fieri contingunt, statuimus, et ordinamus, quod nulla quaevis persona terrigena, vel forensis possit in Territorio nostro Sancti Marini, et eius districtu tenere etiam sub actu custodiae, vel alio quovis modo quantitatem aliquam caprarum.

Et qui contrafecerit, ipso facto incurrisse dicatur in pœnam quatuor librarum pro qualibet capra, et in ammissione earum.

De poena immittentes ignem in stipulis absque licentia.

Rubrica XLVI.

Quia propter ignis immissionem in stipulis sæpissime multa damna occurrunt, statuimus, et ordinamus, quod nulla persona audeat, vel praesumat absque licentia Dominorum Capitaneorum dictae Terrae ignem immittere in aliquam stipulam, seu sepalem, vel nemora, sive silvas, vel alium quemcumque locum sub pœna viginti librarum denariorum pro quolibet, et qualibet vice, et nihilominus damnum emendare teneatur in duplum.

Qui vero dictam licentiam obtinuerit, et damnum dederit, nihilominus ad damni emendationem teneri volumus.

Hoc addito, quod præfati Domini Capitanei dictam licentiam dare non debeant, nisi prius idonea praestita per impetrantem fideiussione de non faciendo alicui damnum cum igne praedicto, et si fecerit, emendando.

Declarantes, quod si dictum damnum vi ventorum, vel per ignem vagantem datum fuisse reperiretur, huiusmodi ignem immittens nullatenus excusetur.

FINIS LIBRI QUINTI.

LIBER SEXTUS

DAMNORUM DATORUM

Ob publicam utilitatem, et commodum universorum civium, et oppidanorum Reipublicae, et Terrae nostrae Sancti Marini, eiusque Territorij, et Comitatus tempestivum admodum visum fuit, immo et necessarium super damnis datis municipales leges edere, ac promulgare, præsertim attenta relatione multorum, et quasi quodam rumore publico, quod tam cives, quam incolae, et oppidani praedicti in eorum agris, et bonis intollerabilia damna sustinuerunt, et in dies magis sustinent. Quapropter ad cohercendum huiusmodi temerarios damnificantes, et ne malorum impunitas alijs peccandi licentiam tribuat, ad infrascriptas leges inviolabiliter observandas deventum fuit.

De modo procedendi in damnis datis per accusationem.

Rubrica I.

Si quis per aliquam personam privatam damnum personaliter dedisse fuerit accusatus, contra eum coram Notario Bancae accusatione instituta ordinarie procedatur, debitis praemissis citationibus per cedulam summarijssimae accusationis continentiam enarrantem, cum assignatione trium dierum termini ad se defen-

dendum, quibus elapsis absque alia condemnatione, relaxetur executio contra eum, si se non defenderit, pro pœna, et pœnis iuxta formam infrascriptam statutorum de materia loquentium respective. Cui accusatori cum unico etiam teste fide digno, sive masculo, sive fœmina plene credatur.

Si vero suo iuramento corporaliter tactis scripturis suam accusationem voluerit comprobare, hoc ei etiam licere permittimus, dummodo accusatione per eum coram eodem Notario instituta apponat in ea locum, in quo damnum datum fuisse dicetur, et diem, et horam, in qua similiter damnum sibi datum fuisse dicet. Quo casu ei credatur usque ad summam bononenorum decem, quoad pœnam exigendam, et decem similiter quoad damni emendationem. Et eodem modo procedatur in accusationibus damnorum datorum cum bestijs, vel personaliter per transitum, dummodo tamen huiusmodi accusatio fiat coram Notario extracto ad damna data, qui procedere debeat prout inferius sub Rubrica de modo procedendi in damnis datis per querelam. Plazarij quoque publici dictæ Terrae si quem cum bestijs, vel personaliter damnum dedisse accusabunt, quod coram Notario Bancae fieri debeant, si sint duo, vel uno executore cum Plazario fidem faciente, eisdem plena fides adhibeatur. Si vero unus Plazarius tantum, vel executor absque Plazario accusaverit id unico teste, ut supra fide digno comprobando, integre ei credatur, et habeant Plazarij, vel executores supradicti pro accusationibus huiusmodi quartam partem pœnae, in qua accusati venirent condemnandi, et aliam quartam partem dictae pœnæ lucrentur pro executione, si ea de tali pœna fieri contingat.

Teneantur tamen dicti Plazarij, vel executores annotari facere eorum accusationes, et inventiones per totam diem in qua damnum datum esse dicent, vel per totam sequentem, alias ulterius non audiantur, et accusatio nullius valoris sit, vel momenti.

Declarantes, quod in quibuscumque damnis datis procedi debeat summarie, de plano, et sola facti veritate inspecta, ferijs quibuscumque repentinis, et in hominum utilitatem introductis non obstantibus.

De modo procedendi in damnis datis per querelam.
Rubrica II.

Item statuimus, quod unicuique liceat denunciare, vel querelare, de omnibus damnis datis ab incerta persona in quibuscumque suis bonis, porrigendo querelam suam coram eodem Notario Bancae, ac nominando in illa testes, quos voluerit examinari su-

per ipsa, qui testes per cedulam, vel Plazarium publicum moneantur, cum assignatione termini arbitrio Dominorum Capitaneorum; vel Notarij praedicti, ad se examinandum super dicta querela.

Qui quidem, si contumaces extiterint, moniti personaliter, vel bis domi, ut supra, solvant pro tali contumacia Communi bononenos decem, et insuper teneantur parti querelanti ad damni emendationem integre, si nullum aliud reperiatur damnum dedisse.

Si vero per examen alicuius testis aliquem damnum dedisse fuerit repertum, nihilominus alij testes, qui contumaces extiterunt, solvant pœnam, ut supra, et damnum emendent pro rata.

Qui quidem accusati, vel cum iuramento, vel per Plazarios, aut executores, vel per testes, ut supra, citentur per cedulam, ut in praecedenti Rubrica, cum assignatione termini dierum octo ad se excusandum, et defendendum ab huiusmodi querelis, denuncijs, vel accusationibus, et si in dicto termino nullis datis defensionibus se se minime excusaverint, absque alia conditione, vel declaratione, ad pœnam, et pœnas inferius respective descriptas, et ad damni emendationem teneantur, et executio statim relaxari possit pro pœna, ac etiam ad instantiam damnum passi pro emendatione contra eos.

Si vero cum bestijs quibuscumque, vel a personis per transitum de aliquo damno dato quis querelare voluerit, id sibi facere liceat coram Notario extracto ad damna data per brevia, ut supra, nominando in querela testes, quos examinari intendit, qui testes per dictum Notarium moneantur saltem bis in duobus diversis Arengis cum assignatione octo dierum termini ad se subijciendum examini occasione querelae praedictae. Qui quidem si contumaces extiterint factis condemnationibus teneantur ad pœnam bononenorum decem pro quolibet, et ad integram damni emendationem, vel ad ratam, ut supra.

Accusati autem cum testibus, vel iuramento, aut per querelam coram dicto Notario legantur publice in Arengo generali, prout etiam contumaces, et eisdem assignetur terminus octo dierum ad faciendum omnes defensiones, et procurandum concordiam a querelantibus, et accusatoribus respective, quam si habuerint quandocumque ante sententiam, possint dicti testes contumaces, et accusati antedicti, nominationem, et accusationem praedictas abolere, et cassare absque ullius pœnae solutione. Sed si nullis exhibitis saltem legitimis defensionibus in dicto termino fuerint postea per Dominos Capitaneos, vel alium Iudicem condemnati, ulterius nullo modo audiantur, nec petere possint etiam a Consilio generali restitutionem in integrum, sed statim cogantur ad solutionem pœnae iuxta formam statutorum,

et condemnationis praedictae, et parte instante, etiam ad damnorum emendationem summarijssime sine scriptis, vel figura iudicij, sed sola rei veritate reperta quibuscumque cavillationibus reiectis.

De mercede Notariorum in damnis datis.
Rubrica III.

HABEAT Notarius Bancae pro eius mercede in damnis datis coram ipso descriptis pro cedula cuiuslibet accusati bononenum unum, et pro cassatura bononenos duos, nec ulterius aliquid praetendere possit.

Notarius vero extractus ad damna data habeat pro qualibet cassatura, sive de damno dato personaliter per transitum, sive cum bestijs, bononenum unum, et similiter a testibus contumacibus idem recipiat.

Declarantes, quod una tantum accusatio intelligatur, sive querela, licet in ea bestiae diversarum specierum unius Domini fuerint comprehensae, et propterea merces pro una tantum cancellatione solvatur; prout idem quoque intelligatur, si in una tantum accusatione, vel querela pluries etiam a diversis personis quaeque bestiae fuerint accusatae, licet hoc casu quoad emendationem damni volumus teneri pro unaquaque vice, prout si bestiæ diversarum fuissent.

Insuperque dictus Notarius, dummodo legitime constet de diversitate temporum in quo damnum dare visæ fuerint, habere debeat quartam partem condemnationum per ipsum factarum, et pœnarum, quæ cum effectu pervenerint ad manus Camerarij, nec aliter vel alio modo.

Et quoniam persæpe nimia Notariorum aviditate accidit Notarium Bancæ se ingerere in querelis, et accusationibus bestiarum, sive personarum per transitum spectantibus ad Notarium damnorum datorum, et e contra dictum Notarium scribere querelas, et accusationes damnorum datorum personaliter spectantes ad Notarium Bancæ, et ob id oritur quæstio circa incompetentiam eorum, et validitatem actorum, volumus in futurum Notarios prædictos ad invicem nullo modo posse turbare officium alterius, sub quovis quæsito colore. Nihilominus si aliter factum reperiatur, accusatos, et querelatos coram ipsis teneri ad pœnam statutariam statuimus, nec hoc capite unquam dici possit de nullitate querelæ, vel accusationis, sed tamen merces cassaturæ, cedulæ, ac quartæ partis pœnæ respective, quam lucratus esset talis Notarius contraveniens, ipso iure sit, et esse intelligatur alterius Notarij, ad quem spectabat talis quærelæ, sive ac-

cusationis, scriptura, nec praeiudicium aliquod fisco factum intelligatur quoad pœnam, et quod huiusmodi Notarius turbans alium in dicto officio ad restitutionem dictarum mercedum altero teneatur, et insuper incidat in pœnam unius scuti pro qualibet accusatione, vel querela contra formam praedictam suscepta.

Quibus liceat accusare, vel agere in damnis datis.
Rubrica IV.

Statuimus, quod dominus rei cuiuslibet, sive possessor, colonus, inquilinus, et laborator, et quilibet de eorum familia, etiam domesticus, dummodo maior decem annis existat, legitimam habeat in damnis datis personam agendi, excipiendi, accusandi, denunciandi, ac querelandi, perinde, ac si maior vigintiquinque annis existeret.

Qualiter se possit quis in damnis datis excusare.
Rubrica V.

Item statuimus, et ordinamus, quod in damnis datis nulla admittatur excusatio, nisi forte quis probare vellet, quod in hora in accusatione contenta, vel etiam per totam illam diem ipse accusatus, si de eius persona facta fuerit accusatio, esset vel fuisset in alio loco, quam ubi damnum dedisse dicetur, quod si per duos testes fide dignos probaverit, absolvatur.

Insuperque admittatur excusatio accusati, si ipse asseruerit agrum, sive rem in qua damnum datum esse dicetur, esse ipsius accusati, vel alterius personae, ex quo propterea secundum formam iuris, vel statutorum accusari non possit. Quo casu teneatur accusans saltem per unum testem fide dignum de possessione, vel dominio, vel quasi, comprobare, quod si non fecerit, absolvatur accusatus. Et hoc infra octo dies fieri debeat postquam se accusatum noverit accusatus, alias ulterius non audiatur.

Si autem accusatus infra octo dies postquam sciverit se accusatum a damnum passo concordiam obtinuerit, in casibus tamen a statutis permissis, vel quandocumque ante sententiam, possit suam aboleri facere accusationem, et in nihilo condemnetur, et in prædictis semper victus indebite adversarium in lite vexans in expensis condemnetur.

Quod nemo elapsis tribus mensibus possit accusare, vel querelare in damnis datis. Rubrica VI.

Ut tempus accusandi, denunciandi, et querelandi, in damnis datis aliqua temporis præfinitione terminetur, statuimus, quod nemo possit neque valeat elapsis tribus mensibus a die dati damni personaliter, vel cum bestijs, vel quocumque alio modo, denunciare, accusare, vel querelare, et si denunciatum, accusatum, vel querelatum fuerit, non valeat.

Nec ipse accusans, querelans, vel denuncians aliquo modo audiatur, nisi talis damnum recipiens dicto tempore absens fuerit a Territorio Sancti Marini, et potuerit ignorare huiusmodi damnum sibi datum.

De duplicatione, et minoratione poenarum in damnis datis. Rubrica VII.

Ad obviandum damnis datis de nocte, statuimus, quod in omnibus damnis datis, tam personaliter, quam cum bestijs, quoquomodò noctis tempore, ac etiam in damnis studiose cum bestijs datis, et in quibuscumque damnis datis, in quibus per inventionem, et relationem Plazariorum processum fuerit, pœnæ semper duplicentur, et duplicatæ esse censeantur, prout etiam in damnis quibuscumque datis in silvis, et bonis Communis dictæ Terræ.

Volentes insuper, quod statuta loquentia de pœna mitiganda minoribus in maleficijs locum sibi vindicent in damnis datis, et causis damnorum datorum.

In quibus causis non possit fieri concordia in damnis datis. Rubrica VIII.

Ut facilius saltem formidine pœnæ, damnum dantes desistant ab huiusmodi facinore, statuimus, quod in omnibus damnis datis personaliter, præter tamen damna data per transitum, et in quibuscumque damnis studiose cum bestijs datis, ac etiam in alijs damnis datis etiam cum bestijs ad vineas, et canneta, concordia fieri nullo modo possit, sed tales damnum dantes tene-

antur ad pœnæ solutionem iuxta formam statutorum de materia loquentium.

Declarantes, quod damnum studiose datum intelligatur, si famulus, vel famula, vel dominus bestiarum fuerit repertus, vel visus studio, et cura custodire bestias in pasculis, et agris alienis, nec aliter, vel alio modo.

Quod litigantes ad invicem non possint se accusare cum suo iuramento. Rubrica IX.

Litigantes ad invicem in quacumque causa civili, vel criminali, vel quavis alia, non possint se ad invicem accusare de aliquo damno dato eorum iuramento, neque aliam personam de eorum familijs durante causa prædicta, nec post finitam causam per sex menses, nisi accusationem alias legitime comprobaverint. Et similiter aliquis ex prædictis non possit animalia alterius solo iuramento accusare, nisi ea damnum dare invenerit, et Massario Communis postea præsentaverit, vel nisi per testes id legitime comprobaverit.

Quod pater pro filio, et dominus pro famulo teneatur in damnis datis. Rubrica X.

Si filius familias, vel filia in bonis alicuius damnum dederit, et cum patre habitaverit, pater cogi possit ad damni emendationem, et pœnæ solutionem, usque ad quantitatem, quæ filio deberetur in bonis paternis pro legitima.

Et similiter dominus pro famulo, famula, vel custode in omnibus damnis datis teneatur usque ad quantitatem librarum quinque denariorum, si famulus, et custos solvendo non esset.

Id tamen, quod dominus pro famulo, famula, vel custode solverit, sibi reficere teneantur, nisi damnum esset datum de eiusdem domini consensu, vel mandato.

Quo casu ipse dominus usque ad integram damni, et pœnæ satisfactionem teneatur absque ulla spe aliquid recuperandi ab ipsis. Et prædicta habeant locum in damnis personaliter datis tantum.

Nam in damnis datis cum bestijs dominum earum teneri volumus ad omnem damni emendationem, et pœnæ solutionem licet de suo consensu, vel mandato id factum non reperiatur.

De depopulatione, et devastatione. Rubrica XI.

Quicumque alicui damnum dederit in modum depopulationis, et devastationis condemnetur in libris centum denariorum si damni dati extimatio fuerit in libris vigintiquinque vel ultra.

Si autem minoris fuerit quantitatis, videlicet usque ad libras decem inclusive, in quinquaginta libris condemnetur.

Si vero ab inde infra, in libris vigintiquinque puniatur.

Depopulationem autem, et devastationem intelligimus si ultra sex arbores fuerint incisæ, vel aliter devastatæ, et in prædictis semper damnum emendetur in duplum.

De forensibus damnum dantibus in Territorio Sancti Marini. Rubrica XII.

Si quis forensis damnum dederit in curia, vel districtu Terræ Sancti Marini, ad eamdem pœnam teneatur, ad quam tenerentur homines a Sancto Marino damnum dantes in loco domicilij dicti forensis.

Si vero cum bestijs, ut supra, damnum dederit, possint eorum bestiæ per Officiales, vel damnum passum detineri, et reconduci ad Massarium Communis, donec pœnam, et damni emendationem solverit, vel idoneam saltem cautionem præstiterit de solvendo prædicta, alias Massarius restituens non sic cauto, de suo ad pœnam, et damni emendationem teneatur.

De damnis datis extra Territorium in bonis hominum Terrae Sancti Marini. Rubrica XIII.

Si quis autem Terrigena, vel habitator Territorij, ac districtus Sancti Marini damnum aliquod personaliter, vel cum bestijs dederit in agris, et bonis hominum dictæ Terræ, territorij, et districtus existentibus ubilibet extra iurisdictionem Dominorum Capitaneorum, nihilominus teneatur ad quascumque pœnas per statuta nostra impositas in damnis datis, si coram eis, accusatus, vel querelatus fuerit.

Prohibentes expresse talem damnum dantem posse accusari, vel querelari ab hominibus iurisdictioni dictæ Terræ subiectis alibi, quam coram dictis Dominis Capitaneis, vel alijs Iudicibus eiusdem Terræ, vel Capitaneis Castrorum Serravallis, Faitani, et Mongiardini, si talis damnum dans esset de dictis Castris respective.

Et qui contrafecerit puniatur in duplum pœnæ, qua veniret condemnandus talis accusatus, vel querelatus, lege aliqua in contrarium faciente, non obstante.

De Officialibus, et Plazarijs damnum dantibus, et fraudem, et barατariam in officio damnorum datorum committentibus.
Rubrica XIV.

QUIA turpe admodum est damnum ab ijs dari, quorum officium est contra damnum dantes invigilare, idcirco statuimus, quod si aliquis Plazarius, vel quispiam alius Officialis, vel executor Terræ nostræ Sancti Marini, et eius territorij, et districtus damnum aliquod dederint in bonis alicuius, pœna eis, et cuilibet eorum in statutis contenta quocumque casu semper duplicetur.

Declarando tamen, quod damnum dare non intelligantur eundo, vel pertranseundo per aliorum possessiones ad malefactores perquirendum, et ad damna ab alijs data perscrutandum, vel quomodolibet eorum officium exercendum, qui si in officio damnorum datorum dolum, fraudem, vel barατariam aliquam commiserint in pœnam librarum vigintiquinque qualibet vice puniantur, et quilibet possit accusare, et denunciare, et eius nomen teneatur occultum, et habeat quartam partem pœnæ. Procedendo in prædictis sola facti veritate inspecta, quibuscumque iuris, et statutorum solemnitatibus reiectis, de facto eos, et quemlibet eorum compellendo ad solvendum dictas pœnas, et ad damni emendationem.

De emendatione quorumcumque damnorum.
Rubrica XV.

QUONIAM saepissime oriuntur contentiones inter recipientem, et dantem damnum super illius emendatione, statuimus, et ordinamus, quod quicumque aliquod damnum receperit, et illud extimari non fecerit per extimatores ad id deputatos, pos-

sit petere illius emendam usque ad summam viginti bononenorum si iuraverit dictum damnum ascendere ad dictam summam, vel ab inde citra. Possit tamen moderari per Dominos Capitanes, qui pro tempore fuerint, sit ita iudicarent, attenta qualitate temporis, personarum, rerum damnificatarum, et alijs circumstantijs, non tamen possint dicto casu dictam summam excedere, vel augere.

Si vero damnum per extimatorem fuerit extimatum, et relatum, talis damnificans emendet damnum passo iuxta extimationem relatam.

Si vero contigeret alicui de dicta Terra, vel eius districtu combustum esse palearium, sive domum, vel metam grani, vel metam foeni, sive aliud genus bladi, vel vineam incisam, vel segetes devastatas, vel aliud enorme damnum datum (quod Deus avertat), si scire, vel reperiri non poterit quis illud damnum dederit, statuimus quod tale damnum emendari debeat passo, vel passis per illos de illa contrata, in qua huiusmodi damnum datum, vel factum fuerit.

Et idem observari volumus, in quibuscumque alijs damnis datis personaliter, vel cum bestijs, quorum malefactor ignoratur. Nam tunc ad emendam damni teneri statuimus decem proximiores vicini personaliter habitantes possessioni ubi damnum datum esse dicetur.

Dummodo tamen damnum passus, vel alij de eius familia, vel colonus, aut laborator alias habiles ad accusandum secundum formam aliorum statutorum dictos proximiores vicinos denunciaverint, qui sic denunciati examinentur per Officiales damnorum datorum. Et si aliquis dictorum vicinorum, aut alius de eorum familia examinatus deponat vidisse damnum dantem, vel dantes, aut reperijsse in contrata aliquem transire, vel venire ab ea, cum rebus, vel fructibus, quos, vel quas in eadem contrata in suis bonis non habuerit, in quibus damnum datum esse diceretur, is præsumatur damnum dedisse in loco, ubi res non habuerit, et tali vicino sic deponenti plena fides adhibeatur, et sic repertus condemnetur ad pœnam, et damni emendationem iuxta formam statutorum.

Si autem servatis prædictis, non reperiatur malefactor, eo casu dicti decem vicini sic denunciati teneantur ad emendationem damni, dummodo non excedat summam solidorum quadraginta.

Si vero excederet dictam summam, ultra eam teneantur emendare pro medietate tantum, nec possint dictae denunciae fieri, nisi prius extimatum fuerit damnum, et excedat summam bononenorum decem.

In omnibus autem casibus circa emendationes prædictas procedatur summarie absque alia tela iudiciaria, et absque expensis per Do-

minos Capitaneos, vel alios Iudices dictæ Terræ Sancti Marini, et sola facti veritate reperta.

Declarantes, quod omnes extimationes, ac emendationes in damnis datis debeant exigi infra annum a die condemnationis.

Si vero non appareat denuncia, vel accusatio, annus incipere debeat a die completæ, et relatae extimationis, quae extimationes omni casu debeant fieri per extimatores Communis, nisi ambae partes in alium consenserint, et aliter factae non valeant, et post annum nullam executionem mereantur.

De praesentatione bestiarum Massario Communis, et poena prohibentis reconductionem praedictam.
Rubrica XVI.

Quoniam persaepe accidit aliquem damnum passum reperire bestias damnum dantes in bonis suis, quas sive non cognoscat cuius sint, sive defectu testium, damnum dedisse probare non possit, propterea, statuimus, quod unicuique liceat bestias repertas damnum dare in rebus suis reconducere, et praesentare Massario Communis praedicti. Si autem sciverit cuius sint bestiae, dummodo tamen non fuerint alicuius forensis, et facultatem habuerit probandi tale damnum sibi datum fuisse ab illis saltem per unum testem idoneum, eo casu nemini id licere volumus.

Si vero bestiae essent alicuius forensis, vel alterius personae, quae de facili conveniri non possit, eo casu, sive adsint testes, sive non, damnum passo liceat eas presentare dicto Massario.

Qui vero prohibuerit, vel se quoquomodo opposuerit alicui Officiali, vel damnum passo ne reconducat bestias repertas damnum dare, ut supra, eas fugando, vel minando, vel alio modo, puniatur ultra pœnam damni, et eius emendationem in bononenis quadraginta denariorum.

Si vero aliquis de dicta Terra, vel eius Territorio, et districtu reperiret sua animalia per viam ab aliquo reconduci ad Massarium Communis, eidem liceat dare, vel offerre, coram testibus, cautionem de solvendo damnum datum ab eis, et talis reconducens, dummodo eas adhuc non praesentaverit, teneatur, recepta tali cautione, illas restituere earum domino, vel dastori, aut alio eorum nomine petenti.

De modo adnotandi, et relaxandi animalia praesentata Massario.
Rubrica XVII.

STATUTUM est, quod animalia praesentata Massario debeant adnotari per Massarium in quo loco damnum dederint, nec possint per dictum Massarium relaxari, nisi soluta integra pœna iuxta qualitatem damni dati.

Quod probatio unius testis super inquisitionibus, et causis damni dati sufficiat. Rubrica XVIII.

ITEM statuimus, quod in inquisitionibus, et accusationibus, et alijs causis damnorum datorum sufficiat probatio unius testis, tam masculi, quam foeminae, et inde fieri possit condemnatio, ac si legitime probatum esset.

De repertis portare, seu alibi habere ligna, vel fructus.
Rubrica XIX.

STATUTUM fuit, quod si aliquis per Officiales, vel Plazarios Communis fuerit repertus in strata cum lignis, sive fructibus possit tunc cogi ad ostendendum locum ubi ligna inciderit, vel acceperit, ac fructus collegerit, et si non erit in possessionibus eiusdem, vel non docuerit a vero domino habuisse, de facto cogatur ad solutionem pœnae in statutis contentae, et ad emendationem damni, si constiterit cui damnum fuerit datum.

Et similiter repertus habere domi, vel alibi, ligna, perticas, palos, circulos, faenum, vincos, cannas, uvas, et alios cuiuscumque generis fructus, et possessiones non habeat unde verisimiliter talia habuisse praesumi possit, vel docere non potuerit a quo habuerit, pœnam statutariam solvere teneatur.

Et ulterius ad obviandum malitijs depopulantium secrete, vel de nocte bona hominum dictae Terrae statuimus, quod si quis extra dictam Terram domum fecerit, vel capannam de lignamine, vel porticum, seu pergolaria lignaminibus suffulta, vel clausuras, vel aliquid aliud, et docere non potuerit silvam de qua dicta legnamina habuerit, et tunc temporis, vel paulo antea arbitrio Dominorum Capitaneorum damnum aliquod datum fuerit in

lignamine simili alicui personæ, quæ de tali damno conqueratur, viso prius per Plazarium, vel alium a Capitaneis deputatum tali damno, intelligatur, et praesumatur illum, qui in praedictis construendis tali lignamine usus fuerit, illud incidisse, et abstulisse, et cogi possit de facto ad solutionem pœnae et ad emendationem damni, ac si repertus fuisset illud incidere, et exportare.

Et hoc idem intelligatur de omnibus, qui adibuerint vincum, et cannas in vineis, et non potuerint docere a quibus emerint, vel eos, qui eis dederint, et quod possint cogi ad pœnam, ac si inventi forent dictas res accipere.

Et idem etiam intelligatur in paleis, lignaminibus, foeno, canna, olere, pomis, et alijs fructibus.

De damnis datis in vineis, cannetis, et vincaretis personaliter.

Rubrica XX.

Statuimus, quod si quis alterius vineam sine domini, vel alterius de eius familia, vel laboratoris licentia ingressus fuerit a calendis Martij usque ad diem Sanctae Mariae mensis Augusti, solvat pro pœna bononenos viginti: a dicta die vero usquequo fuerit integre vindemiata solvat scutum unum, alijs vero temporibus bononenos decem.

Si vero in ea damnum dederit faciendo herbam, vel foleas vitium, idest pampinos, aut exportando vites, palos, vel arundines a salma infra solvat bononenos quadraginta.

Si autem fecerit de praedictis salmam unam, vel plures, solvat libras quatuor denariorum pro qualibet salma.

Si quis vero in ea damnum dederit comedendo, vel exportando uvas, tam maturas, quam agrestes ante diem Sanctae Mariae mensis Augusti solvat scutum unum, a dicta die vero usque quo fuerit vindemiata, libras septem denariorum.

Si vero vitem a pede inciserit solvat pro qualibet vite libras decem.

Et si damnum dans esset persona vilis, et abiecta, vel non esset solvendo, ponatur ad berlinam, vel duorum ictuum funis publice arbitrio Dominorum Capitaneorum puniatur.

Qui vero damnum dederit intrando, vel transeundo per cannetum, vel vincaretum alicuius sine licentia, ut supra, omni tempore solvat bononenos decem.

Si vero in eo damnum dederit faciendo herbam, vel cannafoliam,

aut fodiendo occinos, vel cannas, vel vincos incidendo, solvat bononenos quadraginta denariorum.

De damnis datis in horto, vel viridario, vel clausura.
Rubrica XXI.

STATUTUM fuit, quod si quis intraverit hortum alienum, vel viridarium, vel clausuram sine Domini, laboratoris, vel hortolani licentia, et ibi damnum dederit accipiendo, vel exportando olera, herbas, poma, vel alios fructus, solvat pro qualibet vice scutum unum.

Intrans vero tantum, et non accipiens aliquid, bononenos viginti. Fodiens vero, vel carpens aliquam vitem, vel arborem domesticam in libris decem puniatur, dummodo damnum datum si de die summam librarum decem non excedat, si de nocte librarum quinque, alias procedatur iuxta formam statuti de depopulatione. Si vero damnum dederit in serratura, vel sepali solvat bononenos viginti, et clausura intelligatur locus clausus terrae laborativae, in quo adminus adsint sex arbores domesticae. Arbores vero domesticae intelligantur nuces, olivae, ficus, amygdali, pruni, avellanae, persici, mori, piri, mali, malagranata, cerasi, castaneae domesticae, et aliae arbitrio Dominorum Capitaneorum.

De facientibus herbam arborum. Rubrica XXII.

SI quis fecerit herbam mororum, incidat in pœnam bononenorum viginti, dummodo non sit in horto, vel clausura, ut supra, quo casu observetur statutum.

Si quis vero fecerit herbam aliarum arborum silvestrium uti ulmi, et similium solvat bononenos decem. Si vero ficus, vel alterius arboris domesticae in bononenos viginti puniatur.

De facientibus semitam, vel carreggiatam. Rubrica XXIII.

ITEM statuimus, quod si quis damnum dederit faciendo viam carreggiatam, aut semitam per possessionem alienam, si cum bobus, et birotio, solvat bononenos viginti. Si cum alijs bestijs, bononenos decem. Si sine bestijs bononenos quinque, et praedicta intelligantur si damnum datum fuerit mangiaticis, et stipulis, vel pratis. Si vero in saudis, solvat medietatem dictarum pœnarum tantum. Et tempore quo herbae adsunt, prout a calendis Maij usque quo fuerint secatae, in stipulis custoditis, et pratis, poenae duplicentur.

Item volumus, quod si quis damnum dederit transeundo persona-

liter per granum, fabam, hordeum, vel aliud legumen alterius sine licentia domini vel laboratoris, si natum erit in agro, solvat pro pœna bononenos decem. Si versatum, et non natum, bononenos quinque. Si autem transiverit per vicciam, mocum, cervinam, et alia similia non comedibilia, medietatem dictarum pœnarum. Et praedicta intelligantur ante Calendas Maij, exinde vero usque quo huiusmodi res fuerint secatae, pœnae duplicentur. In alijs vero terris laborativis, stipulis, et pratis bononenos quinque. In alijs vero saudis bononenos duos.

De damnis datis personaliter in pratis, vel stipulis. Rubrica XXIV.

Si quis damnum dederit in pratis, vel stipulis custoditis a calendis Maij usquequo herbae penitus fuerint falce secatae, faciendo fascem, vel saccum herbarum, solvat bononenos viginti: a fasce vero supra usque ad salmam, vel ultra, bononenos quadraginta pro qualibet salma: alijs vero temporibus solvat bononenos quinque pro qualibet vice. Declarantes stipulas custoditas intelligi illas quae falce fœnaria secari solent, et arbitrio Dominorum Capitaneorum, alias solvat medietatem dictae pœnae, et pœnarum.

De damnis datis ad canterios, vel massam lignorum, aut metas foeni, vel pealearia. Rubrica XXV.

Si quis personaliter iverit ad canterium fascinarum, vel massam lignorum, seu cipporum alterius, vel ad metam fœni, aut ad paleare, et exinde ligna, fascinas, aut fascem, vel saccum exportaverit, solvat Communi bononenos sexaginta denariorum. Si autem de prædictis fecerit salmam, et exportaverit, in scuto uno pro qualibet salma puniatur.

Si vero damnum erit datum in massis castanearum, in duplum puniatur.

De damnis datis personaliter ad quercus, et castaneas silvarum non domesticas. Rubrica XXVI.

Si quis damnum dederit personaliter incidendo quercum, seu robur, aut castaneam silvestrem a pede, si extimatio talis arboris ascendit ad libras quatuor denariorum, tantundem solvat pro pœna.

Si autem minoris erit extimationis, medietatem dictæ pœnæ tantum solvat.

Si vero ramum inciderit, vel ruperit, in bononenos decem, pro quolibet puniatur. Si vero ex dictis arboribus ligna exportaverit, ultra pœnam incisionis, et rupturæ prædictæ, solvat pœnam, ut in sta-

tuto sub rubrica de damnis datis in silva aliena allevata. Glandes vero, vel castaneas ex eis auferens a bernarda infra, in bononenos viginti puniatur. Si vero a bernarda supra, in scutum unum.

Qui vero damnum dederit ligno, lapide, vel securi percutiendo castaneas silvestres solvat bononenos decem pro qualibet castanea. Si autem inciserit plures castaneas a palo, vel a palo supra usque ad perticam, solvat bononenos quadraginta pro qualibet. Si vero a pertica supra scutum unum pro qualibet.

De poena damnorum datorum ad poma, vel ficus personaliter.
Rubrica XXVII.

Si quis damnum dederit personaliter ad poma, vel fructus quoscumque domesticos, solvat pro quolibet, et qualibet vice bononenos quadraginta, dummodo talis arbor non sit in vinea, vel horto.

Si autem esset in vinea, vel horto, solvat scutum unum, et damnum semper emendet in duplum.

De damnis datis personaliter in grano, hordeo, et alijs leguminibus.
Rubrica XXVIII.

Item statuimus, quod quicumque damnum dederit personaliter ad granum, hordeum, vel aliud bladum simile exportando spicas incisas, vel covum unum tantum, solvat pro pœna scutum unum. Si vero exportaverit plures covos, solvat scutum unum pro quolibet. Si vero inciserit, vel ruperit spicas, aut quomodolibet metierit, et non exportaverit, solvat bononenos quadraginta. Qui vero damnum dederit comedendo fabas recentes, vel alia legumina in agris, in libris tribus puniatur.

De damnis datis personaliter in arboribus domesticis.
Rubrica XXIX.

Si quis arborem olivæ, castaneæ domesticæ, lauri, nucis, et alias quascumque arbores domesticas arbitrio Dominorum Capitaneorum declarandas, alibi quam in horto, vel clausura inciserit a pede, solvat libras decem denariorum pro qualibet arbore, et qualibet vice. Et eadem pœna puniatur qui dictas arbores foderit, et exportaverit. Ramum vero dictorum arborum incidens, vel rumpens, in libris tribus denariorum puniatur.

Qui vero dictas arbores excoriaverit, vel aliter damnificaverit, ita quod arbor dissicetur, puniatur eadem pœna qua, si incidisset, puniretur.

Si vero arbores incisæ non fuerint domesticæ solvat medietatem dictae pœnæ.

De damnis datis personaliter in silvis. Rubrica XXX.

Si quis damnum dederit in silvis allevatis annorum trium, vel ultra, incidendo, vel rumpendo ligna, faciendo fascem, vel manipulum, solvat pro quolibet, et qualibet vice bononenos quadraginta.

Si vero silva esset incisa a tribus annis citra, solvat medietatem dictæ pœnæ.

Declarantes, quod si ligna incisa essent longitudinis, vel grossitudinis a pertica supra, solvere debeat scutum unum.

Si vero fecerit salmam, vel supra, solvat libras septem denariorum.

De damnis datis personaliter ad sepales. Rubrica XXXI.

Si quis damnum dederit personaliter ad sepes incidendo ramos vel rumpendo ligna a fasce infra, in bononenos viginti puniatur.

A fasce vero supra in bononenos quadraginta puniatur.

Si autem dictam sepem effoderit, et aperuerit per spatium octo pedum communium, solvat libras quatuor denariorum.

De damnis datis cum bestijs in vineis, cannetis, et vincaretis. Rubrica XXXII.

Si quis damnum dederit cum bestijs ad vineas alterius a calendis Martij usque quo fuerint vindemiatæ, solvat pro bove et equo bononenos quadraginta, pro asino, et porco bononenos viginti, pro pecude bononenos quatuor, alio autem tempore medietatem dictæ pœnæ. Si vero in cannetis, et vincaretis damnum dederit, solvat medietatem dictarum pœnarum respective.

Declarantes etiam quod tempore quo uvae sunt maturæ, porcus repertus damnum dare in vinea impune vulnerari, et occidi possit, dummodo sic vulneratus, vel occisus eius patrono præsentetur, et consignetur.

De damnis datis cum bestijs in silvis incisis, vel tagliaticijs. Rubrica XXXIII.

Si bos damnum dederit in tagliaticijs silvarum a duobus annis citra, solvat bononenos quatuor. Si equus, vel asinus bononenos duos, pecus vero bononenos duos. Declarantes tagliaticiam, quoad pecudes intelligi debere a sex mensibus citra, nec aliter, nam a sex mensibus supra nihil solvant.

In silvis vero a duobus annis supra usque ad quatuor bestiæ prædictæ solvant medietatem dictarum poenarum. Et in tagliaticijs, et silvis castanearum semper poenæ duplicentur in omnibus casibus.

De damnis datis in granis, linis, et alijs bladis. Rubrica XXXIV

Statuimus, quod si bos, vel equus damnum dederit in grano alicuius seminato, sed nondum nato, solvat bononenos duos si vero nato per totum mensem Aprilis bononenos quatuor, a dicto vero tempore usque quo grana fuerint secata, bononenos octo. Asinus, et porcus medietatem dictarum poenarum respective, pecus vero ante calendas Maij bononenum unum, a calendis Maij usque ad dictum tempus, bononenos duos. Et eamdem poenam incurrere volumus si damnum dederint in lino, hordeo, fabis, et leguminibus ad usum hominum seminatis. In alijs vero bladis ad usum bestiarum seminatis, in medietatem tantum puniri volumus.

De damnis datis cum bestijs ad metas grani, et bladorum, vel covos aliorum segetum. Rubrica XXXV.

Si quis bos, equus, vel equa damnum dederint ad covos, vel metas grani, vel bladorum ad usum hominum, ut supra, solvat bononenos viginti, asinus, et porcus bononenos decem, pecus bononenos duos. Si vero ad covos aliarum segetum, ut in præcedenti Rubrica, medietatem tantum solvant.

De damnis datis cum bestijs ad olivas, vel glandes, poma, et hortos. Rubrica XXXVI.

Statutum fuit, quod si bos, vel porcus damnum dederit ad olivas existentes in terris iuxta earum arbores, solvat pro pœna bononenos decem. Si vero equus, vel asinus bononenos quinque. Si vero pecus bononenos duos. Si vero ad glandes, solvant medietatem dictarum pœnarum. Et eadem pœna puniantur si damnum dederint ad poma existentia in terris prope arbores earum, ut supra, videlicet in medietate poenæ qua punirentur si damnum datum esset ad olivas. Et similiter eadem poena puniantur animalia damnum dantia in hortis clausis arbitrio Dominorum Capitaneorum, et ad castaneas domesticas.

De damnis datis cum pullis, et anseribus. Rubrica XXXVII.

Statuimus, quod si pullus alicuius, videlicet capo, gallus, vel gallina damnum dederint ad palearia, in horto, ad metas grani, vel covos, vel in campo bladato nondum nato, solvat dominus animalium bononenum unum pro quolibet. Anseres vero in duplum condemnantur, et huiusmodi animalia possint in damno impune interfici, et eorum domino consignari.

De damnis datis ad vineas cum canibus, qui ligati vel cum uncinis maneant in temporibus infrascriptis. Rubrica XXXVIII.

Si canis alicuius a die Sanctæ Mariæ mensis Augusti usque quo fuerint completæ vindemiæ damnum dederit in aliqua vinea, si cum uncino, solvat bononenos quinque, si sine uncino bononenos decem. Teneantur tamen, qui huiusmodi canem habent durante dicto tempore tenere ligatum, vel ei appendere uncinum ad collum sufficientem, ita ut non possit ingredi in vineas, et si contrafecerint ultra pœnam damni, ut supra, si damnum dederit, solvant bon. viginti pro quolibet, et qualibet vice qua fuerint accusati.

De damnis datis cum bestijs in pratis, vel Terris. Rubrica XXXIX.

Statutum est, quod si quis bos, vel equus damnum dederint, a calendis Martij usque quo fuerint herbae falce secatæ, ad pratum alterius, vel stipulas custoditas, solvant pro poena bon. duos pro quolibet. Asinus vero, et porcus bononenum unum. Pecus vero denarios sex. Alijs autem temporibus medietatem tantum solvant. Si vero in saudis, et stipulis non custoditis, et alijs terris omni tempore, bos, equus, asinus, et porcus solvant bononenum unum, pecus vero denarios quatuor. Si vero porcus ultra damnum herbarum damnum etiam daret fodiendo in pratis, solvat pro poena bononenos quinque. In alijs terris autem bononenos tres.

De damnis datis cum bestijs per transitum. Rubrica XL.

Si quis damnum dederit cum bestijs transeundo tantum per bona aliena, et per transitum non comederint, nec damnum aliquod dederint, nisi cum pedibus, ipsæ bestiæ sic calpestan-

tes per transitum solvant medietatem pœnarum respective secundum qualitatem loci, et temporis, quas solvere tenerentur ex statutis supra expressis, singula singulis congrue referendo si damnum darent comedendo. Quod onus tamen probandi dictum transitum solum, absque alio damno illato comedendo, incumbat patrono bestiarum, quod si legitime non probaverit, in dubio præsumatur tales bestias damnum dedisse etiam comedendo.

De poena animalium lactantium. *Rubrica XLI.*


Quoniam iniqum esset animalia lactantia solvere eamdem pœnam, ad quam tenentur bestiæ allevatae, ideo statutum, et ordinatum fuit, quod omnes bestiæ a quatuor mensibus citra, quæ damnum aliquod dederint, solvant medietatem pœnæ tantum impositae bestijs allevatis secundum qualitatem loci, temporis, et bestiarum.

De casibus non determinatis. *Rubrica XLII.*

In omnibus casibus damnorum datorum, non determinatis, et expresse per statuta decisis, Domini Capitanei, vel alij Iudices procedant de similibus ad similia, adaptantes casus determinatos non determinatis, prout melius adaptari poterunt.

FINIS. LIBRI SEXTI.

ERRATA					CORRIGE
Pag.ª	83	t. lin.ª	37	immonditias	immunditias
——	—	t. »	40	conditionem	conditione
——	84	t. »	19	continuo	continue
——	85	t. »	38	atquae	atque
——	87	t. »	7	dignitem	dignitatem
——	—	t. »	8	Sanci	Sancti
——	91	t. »	21	aequipolens	aequipollens
——	—	t. »	31	trasversalibus	transversalibus
——	92	»	15	agressus	aggressus
——	94	»	7	incurisse	incurrisse
——	107	t. »	6	districtu	districtus
——	111	»	5	terrigina	terrigena
——	114	»	2	*immittentes*	*immittentis*
——	115	»	11	cohercendum	coercendum
——	117	»	5	altero	alteri
——	119	t. »	5	sit	si
——	——	t. »	12	contigeret	contingeret
——	121	»	9	adibuerint	adhibuerint


3 2044 050 671 965

